Spasmus à repletione confertam vacuationem cur prohibeat	103	Subalterna,quia genera sunt infe- riorum & species superiorum, ita appellata sunt	14
Spiritus & sanguis naturæ vehicu- lum	32	Subdita vocantur glandes quæ pos- sunt moderatè irritare	130
Spiritus in omni corporis particu- la est	118	Subductoria, id est, <i>ὑποδυστα</i> , dicun- tur quæ possunt facere modera- tas vacuationes per aluum. nune- rantur quædam simplicia & com- posita	91
Spiritus continuus sibi ipsi est qui in dextera parte ei qui in dextera, qui in sinistra ei qui in sinistra	118	Succorum diuisio	12
Spiritus nutritur per aeris ingref- sum	136.137	Succos, quæ commutare pos- sunt	9
Spiritus ipsius nutrimentum,nares, os,bronchus	137	Succi vel statim à natura in prima animalis conformatione ita ge- niti sunt,vel ab adscititia quadã temperatura mutati	9
Spiritus odoratorius	127	Sudor à madore differt quantitate: sudor enim copiosus est : mado- res autem pauci	21
Spiritus conteritur atque acrior se- ipso fit ex motibus tum corporis tum animalibus,vnde cordi im- pertiens caliditatem,febrem dia- riam accendit	15	Sudor cur superueniat in diariis febris, licet sint in spiritibus	21
Spiritus nea vertitur in aquam, sed vapor	21	Sudor cur multus in tertianis, mi- nor in quartanis,adhuc minor in quotidianis	56.61
Stomachus sæpenumero cum incu- rabile est, nullum intus adhibi- tum medicamentum sustinet	5	Suum pedes cur in tertianis dari possint	86
Stomachus calefactus, à toto cor- pore in se ipsum excrementa at- trahit	128	Sympathiam vel antipathiam ha- bet vnumquodque medicamen- tum ad aliquam corporis parti- culam	80
Stomacho anxio in febribus, ple- nitudine existente, prius succur- rendum stomacho, postea vacua- tio facienda	103	<i>σύνπιψις</i>	147
<i>σπίψις</i>	115		



Symptoma est actionis lesio 44  
 Symptomata sequuntur, Morbi sunt,  
 Causæ faciunt 13  
 Symptomatum exquisita diuisio 13  
 & 44  
 Symptomata quædam sunt morbo-  
 rum specifica, & pathognomoni-  
 ca vocantur: quædam posterius  
 superueniunt 44  
 Symptomata in hoc libro intelli-  
 genda sunt non obuia quæq; sed  
 superuenientia ea quæ adeo ma-  
 ligna sunt, vt facultia sua faculta-  
 tem deiciant 44 ita vt medicus  
 relicto morbo totam ferè eis cu-  
 ram adhibeat 101

## T

Temperaturarū diuisio 2.12  
 Temperatura calida & humi-  
 da omnium pessima 2  
 Temperatura calida & sicca cur  
 prohibeat vacuationem confer-  
 tam 105  
 Theriacæ vires 98  
 Thorax cordis domicilium 30  
 Tristari quomodo commune est in  
 ira & iracundia & cogitatione &  
 tristitia 41  
 Tristitia animi defectionē quando  
 facit 113  
 Tristitiæ distinctio ab iracundia, ex  
 calore, vrinis, gracilitate, oculo-  
 rum cavitare, & decoloratione  
 25.26  
 in Tristitia calor innatus in pro-  
 fundum secedit 25 & humores  
 112  
 in Tristantibus ægrè mobilis est  
 pupilla 27

## V

Vacuatio quæ sensibilis & quæ  
 insensibilis dicatur 80  
 Vacuatio facienda est, quò succi in-  
 clinatio est 80  
 Vacuantia ferè omnia quâquam ex  
 accidenti refrigerant calefacien-  
 tis rei præsentiam, aliam tamen  
 calidam qualitatem introducunt  
 excepto dulci lauacro 82  
 Vacuationem conferam multam  
 prohibent Diarrhœa, Spasmus,  
 Vigilia ingêtes. Dolor intensus,  
 Ambiens aër nimium calidus vel  
 frigidus, itè Tempus anni, Aegro-  
 tantis facilitas ad patiendū, Tem-  
 peratura calida & sicca, Consue-  
 tudo: Habitudo nimis mollis, pin-  
 guis, gracilis: Aetas puerilis, fe-  
 nilis 102.103. & seq.  
 Vapor vertitur in aquæ naturam nõ  
 spiritus 1  
 Vehiculum naturæ sanguis & spiri-  
 tus 32  
 Vehementia, propria est essentia fe-  
 brium 10  
 Vena humeralis à capite magis eua-  
 cuat 93  
 Vena axillaris ab inferioribus eua-  
 cuat 93  
 Vena media ex congressu humera-  
 lis & axillaris facta, à superiori-  
 bus, & ab inferioribus euacuat 93  
 Vena quæ secunda in quartana 93  
 Venenum serpentum vi maximum  
 mole minimum est 7  
 Venenum serpētum statim ad cor,  
 iecur, & cerebrum repit: & vna  
 totum corpus corrumpit 7  
 Ventrem

I N D E X

Ventrè mollientia cibaria consue- ta, quæ sint	94	nem prouocat	40
Venus à Mnesitheo inter labores corporis numeratur	9	Vinum album tenue, quale	95, 96
Veratrū quot modis præbeatur	98	Vini nigri crassi & acerbi vires	121
Veratrum pro vt varie exhibetur, magis etiam vel minus euacuat	98	Vini dadi mensura desumitur à fa- cultate, temperatura, etate, con- suetudine, anni tempore, & regio- ne. exempla ponuntur	8
Veratrum in quartana in vigore, cur dandum	97	Vinum in solutione febris diariæ interpidè dandum habita ratio- ne consuetudinis & præsentis ne- cessitatis	22
Vesicam exulcerant solam cantha- rides ob naturalè antipathiam	80	Vinum cur in diariis febribus ex moderata iracundia vel tristitia, vel cogitatione ortis, dandum	41
Victus ratio. vide Diæta.		Vinum in febre diaria ex iracundia orta non dandū, antequam affe- ctus animi cessarit	141
Vigilias necessario sequitur incon- coctio	27	Vinum cur in febribus ex vigiliis intrepidè exhibeatur	40
Vigilias cur decoloratio insequa- tur	27	Vinum cur detur in febribus dia- riis ob lassitudinem ortis	38
in Vigiliis cur palpebræ ægrè mo- biles sint	ibid.	Vinum cur in febribus ex buboni- bus non dandum, antequam bu- bones sint soluti	39
ex Vigiliis, qui febricitant quomo- do distinguendi ab iis, qui ex ani- mi affectibus febricitant	27	Vinum cur in febribus ex cutis sti- patione, si plethora adsit, nō dan- dum: si non adsit, concedendum.	39
Vinum celeriter in vapores transit	41	Vinum cur ante cōcoctionem non dandum in tertiana	84
Vinum celerrimè alteratur	120	Vinum frigidum temperatum, cur exolutiones ex confertis vacua- tionibus prouenientes ac præser- tim si ad ventriculum repant, sa- net	120
Vinum celerrimè in ventriculo po- test in chylum redigi, & in iccore in sanguinem verti, & vniuersum corpus nutrire	38	Vinum quale esse debeat in fluxio- nibus ad ventriculum, quale in sanguinis eruptionibus	121
Vinum celerrimè nutrit, & celerrimè digeritur	135	Vinum cur in dolore capitis ca- uendum	
Vinum cum celerius distribuatur, potest excretiones vniuersas pro- uocare, facultates roborare, luc- cos in bonam temperaturā trans- mutare	84		
Vinum, corpus exiccatum hume- stat, ac excrementa ad excretio-			


I N D E X

uendum	40	xima in febris	19
Vinum in quibus affectibus cauendum fit	122.124	Vrinae indicant & vniuersale tempus & febris formam	43
Vis vel facultas, vox vel de praediorum vel laborantium vel medentium accipienda est	6 & 7	Vrinae quales esse debent in febris diariis	20
Vi maxima & mole minima vel contra, quae sint	7	Vrina rufa communiter omnibus diariis febris quae ex affectibus animi ortae sunt, inest	23
Vniuersale sermone docemus, particulare opere curamus	3	Vrinae cur acres & calidae in tristantibus	24
Vomitus ante cibum violenti & efficares sunt	92	Vrinae cur calidae at non acres in irascentibus	ibid.
ad Vomitur post cibum quomodo preparari debeat laborans	92	Vrina cur pallida non conspiciatur in febris ob cutis densitatem ortis	31
Vomitum quae concitent	129	Vrinae in glandularum phlegmone, albae cur sint	33
Voluptas, ac animi iocunditas, corporis succos ac praecipue sanguinem fundit, ac in vniuersas particulas extendit	41.42	Vrinae in febris ex bubone cur aliquando appareant biliofae	34
Voluptas animi defectionem, naturam dissipando, innatumque calorem digerendo, facit	113	in Vrina putredinis signum est subsidientiae inaequalitas	20
Voluptas & animi iocunditas pro laborantis modo ac natura excogitari a medico debet	42	Vrina copiosa & inconcocta omnino, principium febris indicat	62
Vrinae serosi excrementi naturam ostendunt	34	Vrina obscurum coctionis signum habens, Ascensum indicat	62
Vrinae rationi existente cute ac multa digestionem contingente pauciores sunt: densiori vero existente, copiosae sunt 31 vnde aestate paucae, hyeme copiosae	30	Vrina subsidentiam habens albam, leuissimam & aequalem, Vigorem indicat	ibid.
Vrinae rufae pro pallidis intelliguntur	31	Vrina perfectionem concoctionis habens, Declinationem indicat	ibid.
Vrinae color pallidus inest, ob bilis admisionem	31	Vrinae in tertianis cur flauae vel subrufae	ibid.
Vrinae cur in dolore capitis albae sint	34	Vrinae in quartanis cur variae & omnino inconcoctae sint	ibid.
Vrinae & pulsus cur sint signa maxima in febris		Vrinae in quotidianis cur appareant albae vel tenues, vel crassae & turbidae, vel rubrae	ibid.
		Vrinam	

I N D E X

Vrinam prouocantibus cur sit vten- dum in febris tertianis	80	rat	127
Vrinam prouocantibus vtédum est in vigore quartanarum	97	Vterina strangulatio abusive in hoc libro pro apncea, id est, interce- pta spiratione dicitur	110
Vrinam prouocantibus vtédum in quotidiana post primos dies	99	Vterinæ apnceæ causa	110
Vrinas prouocant anethum & apiū	80	Vterinam apnceam curanimi defe- ctio præcedat	111
Vterus secundum Platonem ani- mal	126	Vterinæ strangulationis causæ	110
Vterus quod sit animal improba- tur diffusè	126	Vterinas strâgulationes, <i>δυσήσθημα</i> id est, ad superiora recursus ap- pellant	111
Vterum ascendere vsque ad thora- cem improbat	115.127	Vterinam strangulationem cur ani- mi defectio insequatur	111
Vterus succorum propensiones in- sequitur	126	Vterini recursus ad superiora cu- ratio diffusè	125.126
Vtero cur officiat acetum & oxy- meli	125	X	
Vterus cur graueolentibus nari ad- bibitis ad inferas partes recur-		<b>X</b> Antho cholici humor, id est, flauibiliosus de flauabili intel- ligitur 48 vox apud hunc expla- natorem frequens	





STEPHANI ATHE-  
NIENSIS IN PRIOREM  
GALENI LIBRVM

*Methodi Curatiua ad Glauconem  
explanatio,*

Augustino Gadaldino mutinensi  
medico interprete.



QVod quidem non communem tantū<sup>1</sup>  
omnium hominum naturam ô Glau-  
co, sed etiam propriam cuiusque me-  
dicum scire oporteat: & olim ab Hip<sup>1</sup>. Epidē  
pocrate rectē dictum fuit, & à nobis <sup>sect. 3. in</sup>  
etiam in ipsis (vt nosti) artis operibus abundē labo- <sup>principio</sup>  
raturum est.

Proœmiū duo hæc subindicat: alterū, unde huius libri  
conscribendi occasio extiterit, nimirum à Glaucone, qui  
causam dedit: alterum, quæ oratione explicari possint, &  
quæ non possint. nempe cōmunia tradi oratione possunt,  
propria non possunt. Quis enim quantitatem uel qualita-  
tem proprietatis, quæ in unoquoque est, possit deprehen-  
dere? Quidam igitur opinati fuere, Galenum commu-  
nem naturam hominum hoc in loco calidam & humidam  
intelligere: quod dicant hominem in exuperantia calidi  
& humidi naturam obtinere. At hi uidentur mihi eorum,  
quæ à scriptore tum in libro de Temperamentis, tum in  
alijs omnibus ipsius operibus dicta sunt, haud meminisse.

A

Nam ipse ubique ferè pronuntiat hominum temperaturas quatuor simplices, & quatuor compositas esse, & præter has omnes, illam quæ eucratos, id est, temperata, est. hasq; uniuersas in humanis corporibus inuenire licet. Cur ergo reliquis omisissis, calidam & humidam dicere? quam & omnium pessimam esse arbitratur Galenus, putredinosorumq; morborum causam esse pronuntiat. Nos autè dicimus Naturæ nomen, tum apud Hippocratem tum apud Galenū

3. Aph. 2. quatuor significata obtinere. Significat enim aliquando temperaturam: cum dicit, Naturarum hæ quidem ad æstatem, hæ uerò ad hyemem, bene uel malè se habent. Aliquando particularium constitutionem: ut cum ait, Quosdam esse natura angusti thoracis: alios, qui crura ueluti leuio

6. Epidē sect. 5. in principio Libro de alimento ra, ac pro superiorum ratione, tenuiora habeant. Significat etiam aliquando facultatem corporum dispensatricem quando Hippocrates inquit, Naturæ morborum medici.

Significat etiam animorum appetitionem propensionemue: quando ait, Naturæ animalium indociles Hoc ergo in loco Naturæ nomen non de temperatura, neq; de animorum appetitione, sed de reliquis duabus profert. Licet enim reuera in omnibus hominibus cõmunè quãdã inuenire facultatē, attracticē, retētricem, alteratricem & expultricem: quin & sensibilē & motricem. Ac omnis sanè homo has habet facultates. neque has quidem puer habet, minimè uerò ætate uigens: uel ætate uigens habet, senex nequaquam. uerum omnes æqualiter ipsas habent in æstate, ac omni tempore, in omni regione, & aëris constitutione. quare & actiones ab iisdem facultatibus prodeuntes habent. Hæc q; omnium hominum dicuntur esse communia: nimirum, quæ omnibus æquè hominibus insint.

Enimuerò partium etiam constitutionem omnes similiter habent.

habent. Nemo est enim, qui nō habeat caput, manus & pedes. Neque enim, si quod monstrum genitum sit, ex hoc uniuersalem orationem accusare oportet, tanquam non recte dictam. omnes enim secundum naturam se habentes, manus, & pedes, & uno uerbo, totum corpus suis partibus distinctum habent. atque hac in re inter se non differunt. Hæc igitur est communis natura. Est & propria in unoquoque differentia. Alteratrix enim quæ est in Platone, ab ea quæ est in Dione, differt differentia quadam ineffabili, & quæ sub sermonem cadere non potest. Atque ideo oportet, à proprijs ob difficultatem quæ in ipsis est, recedendo, de communibus sermonem facere: ut in hunc modum ab ipsis ad particularia sermonem accommodantes, non omnino aberremus.

Non tamen sicuti communis, ita etiam propria uniuscuiusque scribi potest. sed scripta contrario modo se habent ad actiones, tum sæpe alias, tum non minimè in iis quæ nunc à me scribentur.

Per ea quæ superius dixit, particularium auxit utilitatem: per ea, quæ nunc dicit, horum uenationem comprehensionemque; orationi non posse subijci ostendit. & ait, contrario modo se habere sicuti communia ad particularia, ita scripta ad praxeis, id est actiones. Dum enim artis opera exercemus atque tractamus, particularia querimus. Ingredientes enim ad ægrotum quempiam, non communem, sed propriam illius naturam curamus. Verum in sermonibus particularia tum dicere, tum interpretari nequimus: sed & ipsa sub communium doctrinam reducimus. Hocque inuenire licet non in febribus tantum, sed & in alijs etiam affectibus. nam in illis etiam opere quidem particulare curamus: sermone autem, uniuersale docemus.



3 Petiisti enim, ut nos remediorum quandam tibi vniuersalem methodum subfigurarem. Hęc autem qualitate & quantitate singulorum præfidiorū, & modo eorum vsus, & occasione, quę horum omnium cognitu difficillima est, perficitur. circa quā præcipitem admodum existētem, quemadmodum alicubi & hoc dicit omnium honorum nobis auctor Hippocrates, sæpenumero vides non vulgares solum medicos, sed optimos etiam falli.

Hoc in loco confirmare magis suam ipsius rationem uolens, hoc est particularia oratione non posse explicari, & hæc intulit. in quibus ostendit Glauconem petiisse ab ipso, ut curatricem sibi methodum compendiosè scriberet. Sed quoniam hæc, ait, progredi non potest nisi per quatuor hos canones, quantitatem, qualitatem, utendi modum, & occasionem: oportet sanè & hos canones rectè assequi. Qualitas igitur ab affectionis specie sumitur. si enim morbus calidus, refrigerare. si frigidus, calefacere: quemadmodum si siccus, humectare: si humidus, siccare eum debemus. Verum non sufficit hæc tantum nos scire: sed & quantitatem metiri adhibendorum præfidiorum: id quod non amplius à specie, sed à quantitate affectionis, & ab ipsius magnitudine sumitur. Nam si nouerim, uerbi gratia, refrigerari oportere, nec sciuerim quantum refrigerari oporteat: falli me circa curationem est necessesse. Quippe quotquot quantitatem ignorarunt, uel præsidij imperfectius usi fuerunt: in contrariam certè intemperiem corpus imprudentes duxere. Oportet etiam ut modum utendi sciamus: uerbi gratia, stomacho patiēti quomodo præsidia adhibere oporteat, intrinsecus an extrinsecus. sæpenumero enim incurabilis cum est stomachus, nul-

lum

lum intus adhibitum medicamentum sustinet. in hoc enim nobiscum bene agitur, si extrinsecus curationem adhibeamus. Quin & dysenteria, (quæ est intestinorum ulcus) aliquando per inferiora, nonnunquam per superiora utendi modum nobis dicit. nam cum ulcus est in tenuibus intestinis, per præsidia, quæ superius ingeruntur, curationem molimur: cum infra in crassis est, ijs quæ per inferiora iniiciuntur, utimur. nec vulgaris est hic scopus. Sed præ omnibus his difficillima cognitu est occasio, quippe quæ maxime momētanea sit, sicuti diuinus Hippocrates in Aphorismis pronūciauit, inquiēs, Occasio autē præceps. Nam cū semper fluant nostra corpora, & uarijs subinde modis se habeant: præsidia etiam in ipsis diuersa esse, & alia singulis occasionibus necesse est. Nequaquam ergo occasio, quæ maxime præceps sit, comprehendi potest: ne si quis ipsam iuxta sequi ac comitari queat: ita ut appositū præsidium opportunè adhibeatur. Ob idq; infortunia speiq; frustrationes non idiotis tantum, sed optimis etiam medicis euenire conspicimus. Verum idiotæ ob suam ipsorum imperitiam cadunt: artifices ob rei incomprehensibilitatē. Cū ergo quatuor sint hi scopi: duo tum communes sunt, tum idiotis etiam cognitu faciles, modus utendi, & qualitas. Quis enim nescit calidum refrigerandum esse, & frigidū calefaciendum. Quin & utendi modus quamuis difficilius percipiatur quàm qualitas, non omnino tamē captu difficilis est. Reliqui duo tum proprij, tum cognitu difficiles sunt, occasio & quantitas. Nec affectum ullum prohibere quis poterit, qui his scopis non usus fuerit. Ad ipsa enim artis opera ipsis necessariò egemus. Si igitur necessarium est per hos scopos fieri curationē, sanatioq; sine his perfici nequit, quippe quæ uniuscuiusque propria sit, propria

autem scribere sit difficile: ad communia ne cessario conuertimur. hæcque docemus nihil nobis primario ad curationem conferentia, sed secundaria ratione. Illa enim particularibus adaptantes, raro spe euentuque frustramur.

Libro de  
alimento

4 Quinetiam quod magnum sit quantitatem re-  
cta coniectura ad facultatem accommodare, idem vir scripsit. Cum igitur ad recte curandum maximè conferre videatur & occasio & quantitas præsidiorum, hæc autem in singulis ægrotantibus propria inuenias, nihil autem quod sit proprium, ratione explicari possit: hac ratione quod commune est, scribere cogimur, quamuis id usu sit secundum. Nam & quosdam ægrotos sæpenumero inuisimus, quibuscum dum sani erant, non eramus versati. quare cum quem colorem, vel habitudinem, vel naturalem calorem, vel arteriarum motum haberent, haud sciuissemus: satis aliquando idonei iudices magnitudinis morborum non fuimus. Nam quantum à natura distat unusquisque morbus, ad tantum etiã peruenit magnitudinis. Quantum autem distat, solus ille scire potest, qui id quod secundum naturam est, exquisitè cognoscit. Hoc ergo in ipsis ignorantes: ne omnino hæsitemus, ad id quod commune est, confugimus, quamuis id usu sit secundum.

Probè sermone additum est, bona coniectura, id est ἐνδόξα. coniecturalis enim est ipsa quantitas: nec à quopiam exquisitè ponderari potest: sed unusquisque, prout est prudens, ita ad id quod exquisitum est, accedit. In hocque excellentes medici cæteris imprudentioribus præstant. quippe qui ad quantitatem coniectura assequendam præstantiores sint. Vox autem ad facultatem seu ad uires (græcè  
eis

αἰς ἀνάμυρ,) uel praesidiorum, uel laborantium, uel medentium accipienda est. Praesidiorum quidem, in hunc modum. quando egrotanti corpori uel nutrimentum uel medicamentum offerimus: horum non moles, sed uis inuestiganda est. quippe multa inuenire licet, quae in magna mole paruum uim, uel in parua magna obtineant. Enim uero serpentium uenenum mole minimum, uim maximum existit. cōfestim enim ad cor, iecur, & cerebrum repit: unaque cum principijs totum corpus corrumpit. Olera multam quidem molem habent, uim uero minimam. exiguum enim admodum corpori nutrimentum praebent. & ob id multi idiotae admirantur. \*

Plus uero & in hoc quidpiam artifex habet quam iners. Et quid est hoc ipsum plus? Hippocrates quidem & hoc primus omnium, quos scimus, scripsit. Plenius autem id explicarunt ex posterioribus quicumque; illius scripta intellexerunt: quorum unus fuit Mnesitheus Atheniensis, uir tum in reliquis omnibus, quae ad artem spectant, abunde doctus: tum quantum methodo artem medicam exercere oporteat, nulli peritiam secutus. Hic Mnesitheus à primis & supremis generibus auspicatus, diuidi ea oportere cōsuevit per species genera, & differentias: & rursus diuisa eodem modo diuidi: & illa rursus eodem modo: quosque ad tale quandam speciem perueniamus, postquam diuidendo, in unum numero & indiuiduum desinamus. Mihi uero satis est breuibus tibi meam explicasse sententiam. nam ridiculus essem, si te tua docerem, tanquam iam pridem ea à Platone non didiceris. neque enim ut te aliquo pacto quicquam de hac methodo, quae circa diuisionem uersatur, docerem, mentionem feci: sed quia mihi ad sequen-



tem deinceps sermonem omnē, vtilē eam forte existimo. causamque ob quā subinde plurimos medicos errare vides, cū tu discere cuperes, eā tibi aliter indicare nō licebat. Nā quæ in aliis sectis contingūt errata: & quæ multi medici in agrotātibus delinquūt: primam ac maximam causam habent, diuisionis prauitatē. Quidam nāque in primis & supremis generibus persistunt, solis indicationibus, quæ ab iis sumuntur, contenti: Quidā vsque ad aliquid quidem diuiserūt, ad finem tamē vsque non perueniunt: Multi etiam vitiosis diuisionibus sunt vsi.

In Phedro. *Inertes, hoc est ἀτέλεις dicit, eos qui artem sine ratione aggradiuntur, quemadmodū & Plato ostendit, inquit, Artem haud uoco rem, quæ sine ratione est: Artifices uerò, eos, qui Hippocraticis methodis aduersus morbos pugnant. Igitur artifices plus habent, quàm inertes ex hac dignotione: ueluti & Hippocrates in Prognostico ostendit, inquit, Prænosces enim & prædicens apud agrotantes præsentia, præterita, & futura, creditur utique agrotantium res cognoscere. Ex his autem eo in loco ostendit etiam curationem optime ipsi esse progressuram. Sed unde dignotio ipsi erit? An certe quia εὐμεθόδως .i. recta methodo arte utatur. εὐμεθόδως autem nihil aliud est, quàm per diuisionem rectam: ita ut genera sumendo, & per proprias differentias in species diuidendo, demum in aliquod indiuiduum incidat, quod non amplius diuisionem suscipiat. Hoc ergo Mnesitheus fecit, philosophiā aliāsq; disciplinas exquisitè callēs, atq; in medica arte primas partes ferēs. Hic primus post Hippocratē aggressus est methodo medicā artē conlitiuere, hac usus diuisione*

diuisione. Si lubet, eius diuisionem in medium afferamus. Dicebat ergo Mnesitheus, Medicum uel sanis sanitatem custodire: uel egròtantibus egritudines morbosue curare, at sanè sanitatem similibus custodire: morbum contrarijs tollere, perpetuoq; causas morborum excindere. causas autem uel quantitate, uel qualitate infestare. quantitatem uel in spiritibus uel in humoribus considerari. ac rursus qualitatem uel mordacem esse, uel salsuginosam, uel acidam, uel acrem, uel calidam, uel frigidam. Sed & horum singula ab alijs rursus causis fieri. etenim succos eiusmodi genitos esse uel à natura statim in prima animalis conformatione, uel ab adscititia quadam temperatura posterius ob errores facta. \* \*

Nam & anni tempus succorum ideas cõmutare: quem enim esse, qui nesciat æstatis tempore bilem procreari, hyeme pituitam, ac sanè sanguinè uere, sicuti melancholicum succum autumno? Quin & regionem eadem posse quæ & anni tempus, & ætas, & diætæ formam alio, uel alio modo institutam. Quin & labores succos mutare: hos autem uel circa animam, uel circa corpus consistere.

\* \* ipsius uero animæ, qui immoderatis lasciujs utuntur. nam nimium etiam uenereorũ usum subiectum animæ spiritum digerendo dissipandouè, laborè animalem utiq; dici. Quin & curas cogitationesue, tristitias item, memoratas succorũ qualitates facere. Hic ergo Mnesitheus ita diuidens, in ea incidebat, post quæ deinceps progredi non licet. Sed quoniam Galenus cum Glaucone philosopho disputat, generis meminit, & differentiarum, & specierum, & indiuiduorum: in quibus ipse fuerat cõformatus, ac ab incunabulis, ut ita dicã, educatus, à Platone ipsa discens. ob id ait, mentionè horum feci, non ut te tua doce-

rem: hoc enim ridiculū esset: sed quia ad docēdorū pollicitationem eiusmodi diuisiua methodus utilis est: ac etiā quia ob errata, quæ circa ipsam contingūt, medicorū infortunia speiꝫ; frustrationes accidūt. cuius rei tu causam discere cupiebas. Nunc ergo, inquit, audi: Controuersia quæ in seētis cōtingit, ac multorū medicorū infortunium speiꝫ; frustratio, ex diuisionis prauitate oritur. Fit autē tribus modis. Nā quidā primis generibus sunt cōtenti, nec amplius ipsa in alias particulares species diuidūt: sicuti sane etiā Methodici fecerūt: qui strictū duntaxat, & fluxile, & complicatū iudicarūt sciri oportere: nec ulterius hæc diuiserunt. Quidā autē genera quidē diuiserunt, imperfecte tamē nec usq; ad indiuidua diuisio ipsis peruenit: quæ admodum etiā Erasistratus fecisse uidetur. Alij etiā prauē diuiserūt, qui essentialibus differētijs accidentales opposuerunt: sicuti sane Archigenes fecit. hic enim dicebat, febrium has quidem uehementes esse, has uero diurnas. at porro uehementia quidē essentiæ febrīū propria est: nam caliditatis est characteristicā ac ob signatrix, quæ caliditas ipsius febris essentia est: diurnitas autē accidens est: accidit enim febribus, ut uel in longū uel in breue tempus extendantur. dicebat igitur, febrium has quidem esse uehementes, has uero diurnas: quando uehementi imbecillū, diurno breue opponere oportuisset. Hoc ergo modo in diuisionibus errantes, sectarum etiam controuersiam constituerunt.

- 6 Quicumque autē omnia & quæ secundum naturam, & quæ præter naturā sunt, ad eiusmodi methodū reducens, ex omnibus iis, quæ per diuisionē sunt inuenta, integrā sumit indicationem: hic solus, quantū per humanas vires licet, medēdo non errabit



bit: atq; notos quidē melius quā alios: ignotos autē quā fieri poterit proxime notis curabit. Si quis enim distinxerit primū quidem ætatē, postea temperaturarum ac facultatum differentias: cæteraque omnia, quæ hominibus insunt, calores dico, habitudines, pulsuum motiones, assuetudines, vitæ studia, & animi mores: hisq; differentiā, quæ est inter marem & fœminam, addiderit, ac quæcunq; ad regiones, & anni tēpora, aliasq; ambientis nos aeris constitutiones spectant, conuenienter distinxerit: hic ad propriā laborantis naturā dignoscēdam prope accedet. Verūm ex his omnibus quædam in libris De pulsibus, quædā in libris De temperamētis sunt determinata. Sicuti etiā eorum omniū quæ præter naturam sunt, quotquot sunt per genera & species differentiæ, vniuersas in libro de affectibus definiuimus. Nūc vero tota nostra oratio de iis erit egrotis, quorum naturam, antequam in morbum incidere, sciueramus: cū ipsis tamen reliqui etiā omnes intelligentur, qui nobis erant ignoti. Neque enim difficile fuerit ab eo, quod perfectè est distinctum, id etiam, quod tale non sit, inuenire.

*Nos ergo Mnesithei diuisionē tradidimus: ac quomodo diuisionis prauitas, errorū sit causa, demonstrauimus. Age iam auctoris etiā diuisionē tradamus, per quam omnia tum quæ secundum naturam, tum quæ præter naturam sunt, sciri oportere, atque ab unoquoque indicationem quandam desumi censet. Quæ igitur sunt secundum naturam, uel elemēta sunt, uel temperaturæ, uel succi, uel particule, uel facultates, uel actiones, uel ætates. quin & anni tēpora, & regiones, & recentiores constitutiones. Horum autem singula subdiuiduntur. Nam elementorum aliud est*



est calidum, aliud frigidum, aliud siccum, aliud humidum. Ac temperaturarum nouem sunt differentiae, quatuor simplices, & quatuor compositae, ac praeter has temperata. Succorum etiam alius sanguineus, alius pituitosus, alius biliosus, alius melancholicus est. Particularium etiam aliae imperant, aliae imperantibus subseruiunt: aliae connatas solum habent facultates, aliae connatas simul & influxas. & aliae quidem similes, aliae instrumentales: ac simularium aliae actionem obeunt, aliae usum praestant: ac rursus instrumentalium aliae actionem obeunt, aliae usum praestant.

Ac facultatum aliae sunt naturales, aliae animales, & animalium aliae sensibiles, aliae motiuae, aliae retrices. atque sensibilibus alia uisoria, alia auditoria, alia olfactoria, alia gustatoria, alia tactoria. motiuae unam cum partibus motis diuiduntur: tot enim sunt speciei motiuae facultates quot & partes motae. retricum alia imaginatrix, alia cogitatrix, alia memoratrix existit. atque haec est facultatum animalium diuisio. Naturalium autem alia est uitalis, quae a corde prouenit, atque per arterias in uniuersum corpus dispensatur: aliae autem re uera sunt naturales. & harum aliae sunt primae, aliae secundae. ac primarum alia est formatrix, alia generatrix, alia auctrix. secundarum, quae sane primis subseruiunt, alia attractrix, alia retentrix, alia alteratrix, alia expultrix est. Actionum porro subdiuisio eadem est cum facultatum subdiuisione. quot enim facultates, tot etiam actiones existunt. Aetatum etiam alia puerilis, alia uigens, alia decrescens, alia senilis. Temporum anni aliud uernale, aliud aestiuum, aliud autumnale, aliud hyemale. Regionum quoque alia calidior, uel frigidior, uel siccior, uel humidior est: alia calidior & siccior uel calidior & humidior, uel frigidior & siccior, uel frigidior & hu-  
midior

midior: alia temperata. Constitutionū item eodem modo  
 constitutiones autem (græcè κατὰ φύσιν) dicimus particu-  
 lares aeris mutationes: quæ sanè cū anni tēpore nō neces-  
 sario consentiūt: quoniam sepe numero inuenire licet in æ-  
 state constitutionē hybernā, & in hyeme æstiuam: atq; in  
 aliis eodem modo. Hæc porrò est rerū, quæ secundum na-  
 turam sunt, diuisio. Iam ad alterā ueniamus sectionē rerū  
 scilicet quæ præter naturā sunt. Hæc genere sunt triplices.  
 aliæ faciūt, aliæ fiunt, aliæ sequuntur. faciunt causæ, fiunt  
 morbi, sequuntur symptomata. Causarū aliæ procatarti-  
 cæ, id est primitiue, aliæ proegumena, id est antecedentes,  
 aliæ synectice id est coniunctiue. Morborū alij sunt simi-  
 lares, alij instrumentales, alij communes. Similarium, alij  
 simplices, alij compositi: & alij quidem secundum nudam  
 qualitātē, alij cū materia influxa. Et instrumentaliū alij in  
 formatione, alij in numero, alij in magnitudine, alij in cō-  
 positione. Et qui in formatione sunt, alij in figura, alij in  
 meatu, alij in cavitāte, alij in asperitate, alij in leuitate. Et  
 qui in numero sunt, in ijs aliæ deficiunt, aliæ abundant. &  
 deficientiū, aliæ, tota deficiunt: aliæ, partes. & abundan-  
 tium, aliæ ex genere sunt eorū, quæ sunt secundū naturam:  
 aliæ ex genere eorū, quæ sunt præter naturā. Et qui sunt  
 in magnitudine, in ijs aliæ deficiunt, aliæ excedunt. Et eorum  
 qui spectantur in positura, alij fiunt ex naturali partium  
 positione permutata: alij communionē, quæ inter ipsas est  
 mutua, læsa. Hæc est morborū diuisio. Symptomatum autē,  
 aliæ in lesionibus actionū considerantur, ut apestia, id est  
 in concoctio, allucinatio. & singulæ aliæ lesiones: aliæ in  
 corporum affectione, ueluti cum malus color hominē de-  
 prehēderit, quemadmodum in icteris, uel quæcumque aliæ  
 affectio: aliæ in ijs, quæ excernuntur, uel cohibentur, ut in  
 alui pro

alui profluuijs & suppressione, in urinæ retentione & in diabete uocato. Actionū lesio, alia est absoluta, alia debilis, alia deprauata. Atq; hic scriptoris diuisio terminatur, quæ incipit quidem à generalissimis, procedit uerò usque ad indiuidua per medias subalternas species: quæ genera quidem sunt inferiorum, species uero superiorū: & ob id subalternorum appellationem sortitæ sunt.

7 Incipiamus igitur à febribus: quandoquidē & tu earū præcipuè curandarū methodū tibi tradi cupiebas, primūq; de simplicissimis, quas Hippocrates ephemeris id est diarias uocat, dicamus. Tales sunt quæ ob lassitudines fiūt, & ebrietates, & iras & iracūdias, & tristitias, aliasq; animi curas uehemētes. Et quæ ex bubonibus ortū habēt, ex hoc genere sunt: præter quā si absq; ulcere fiāt manifesto, tūc enim inspectæ sunt, nec ullo modo mites. Sed & uigilia plerūq; simplicē febrē intulit, sicuti sanè & refrigeratio, & exustio. Hæc omnes febres facillimè solui possunt, hoc sanè modo. Oportet siquidē eos cōfestim ducere ad lauacra, atq; ad aliā consuetā uictus rationem. Quandoquidē qui celebratam illam diatriam (id est triduanam inediam) in omnibus hisce admittunt, acriores sæpius eiusmodi febres reddiderunt: quāuis & aliter præterea delinquāt. quæ admodum certè uides multos in quolibet ingressu delinquere, ita ut manufactum re uera faciant morbum.

Hoc in loco cōsequenter incipit exequi id quod Glauco petijt: ac primo loco methodū tradit curādi febres diarias. Diarias autem uocāt febres, quæ ex spiritu incalescite fiūt: quæ sanè simplicissimæ atq; benignissimæ sunt, atq; ad sui ipsarū generationē unius diei tēpus satis habent



bent. Fiunt autē hę febres, uel à corporeis uel ab animali  
 bus motionibus: corporeis quidē, ex lassitudinibus, stipa-  
 tionibus, & ebrietatibus: animalibus uero, ex curis, tristi-  
 tijs, iracundijs, & reliquis id genus. ex his enim omnibus  
 cū cōteratur \* spiritus, acriorq; seipso reddatur: imper-  
 titur cordi caliditatē, atq; eiuscemodi febrē accēdit. Sunt  
 ergo omnes hę febres, ut diximus benignę: quęadmodum  
 sanę & quę ex bubonibus excitātur. In his tamē sermo di-  
 stinctione limitationeq; indiget. Nā febriliū, quę ex bubo-  
 nibus excitantur, hę quidē sunt diarię: sūtq; euidēti qua-  
 piā causa in corpore prægressa, ueluti si impigerit quis,  
 uel aliqui ulcus habeat. Quoniā enim quę dolent, fluxu  
 semper tētantur, materię ad membrū ulceratū ferri stu-  
 dent: postea in itinere imbelliciori particulę occurrētes,  
 in illā decūbunt, illamq; molestāt, atq; in tumorem attol-  
 lūt. Vocatur autē eiuscemodi res, Bubo. Sępenumero autē  
 cū copia sit in corpore, periculūq; immineat, ne ab ipsa  
 uires suffocētur: natura ueluti repugnat, ac recalcitrat,  
 ipsam deponere uolēs. Quoniā igitur haud potest per sen-  
 sibile excretionē seius uacuationem moliri, ipsam trans-  
 mittit ad imbecilliores partes, Adenas, seu Glandulas, di-  
 co. Sicuti enim hostes ciuitatē obsidentes, quam uarij mili-  
 tes custodiant, à potētioribus propelluntur, irruūt, autem  
 in imbecilliores, à quibus haud amplius propelli possunt:  
 Sic & succi, dū à ualida facultate propelluntur, ad imbe-  
 cilliores particulas accedūt, Glādulas dico: quę sanē non  
 imbecillitatis tātū ratiōe ad materias suscipiēdas prōptē  
 se habēt, uerū & ob propriā ipsorū raritatē. nā cū laxę  
 sint, meatusq; apertos habeāt: faciliē in seipsas copiā admit-  
 tunt. Hę ergo febres quę ob copiam eueniunt, benignę  
 non sunt: sed ex genere earum, quę ex putredine succorum  
 fiunt



fiunt, existentes, periculum inferunt non uulgare. Atque mentem diligēter adhibere oportet, ne imprudētes ijs qui ex putredine febricitant, sine custodia uictū instituamus, putantes eos febrem habere diariā: cū eiusmodi error oriatur ob cōmunitatem, quam bubo tā ad eas, quæ ex putredine oriūtur febres, quā ad diarias, ut diximus, gignēdas habet. Diarias igitur curare, haud est difficile: imō admodum facile. Nam statim post accessionis declinationem, lauacris ipsos uti iubemus: atq; ad consuetam uictus rationē reducimus. Methodici uerō non ita sanē, sed cū eos assumunt, iubent ad tres dies cibum non capere: quōd accessionem, quæ per triduum fit, obseruandam esse censeant. Arbitrantur enim cūctos fere morbos per triduum accedere. Hi ergo, eiusmodi laborantes maximē ledūt: quippe qui eorum febres acriores reddant: atq; ad febris acrimoniam, intemperie, quæ ab inedia prouenit, addant. Non solū autē in hoc errant: sed ut aliquid facere, nec frustra ad laborantem accedere uideantur, perfusionibus utuntur importunis, & irrigationibus, & cataplasmatibus: à quibus non solū nihil iuuatur laborans, quinimo læditur atque ob id ait Galenus ab ipsis manufactum fieri morbum.

8 Quæ igitur ad curationē harū febrū pertinent: in prōptu, sunt: quæ uerō ad dignotionē, diligentia maiore requirūt: nec ullus ante nos, quantū res exigebat, ea scripsit. Vnde nihil mirū est, multos in curationibus tantū delinquere, quantū etiā in dignotionibus fallūtur. Sæpenumero enim quidā casu aliquo in graues morbos ab initio inciderūt: sicuti uino repleti, uel exusti, uel refrigerati, uel lassitudine fatigati, uel uigilias perpessi, uel irati, uel quomodocunq;

cunq; aliter à causa, quæ ex seipsa ledere possit, correpti: deinde totum id ob antegressam causam, non ob aliam quandam affectionem euenisse arbitrati: negligentius instituta sibiipsis victus ratione, latenter in incurabilem, aut ægrè admodum curabilem morbum seipsos proiecere. Ob hæc igitur ante omnia prouidere oportet, sicuti etiam Hippocrates adhortatur, vt non futura solum, sed & præterita & præsentia prænoscamus. Nam & quod nunc proponitur, ad eam artis partem attinet, nosque quàm manifestè poterimus, id scribemus. Neque enim parua est differentia, si laborantem laueris, ac confidere iusseris: an per omnem custodiam, securitatemq; traduxeris. Ingressos igitur ad ægotantem, primum quidè à maximis ea quæ circa ipsum sunt, considerare oportet: postea ab aliis, nihil etiã quod minimũ fit, pro viribus omittentes. Nam quod magis, vel minus indicationi à maximis sumptæ, credamus, id ex aliorum additione fit. Maxima igitur febricitibus omnibus, tum in pulsibus, tum in vrinis indicia sunt. Addere etiam ipsis oportet vniuersa alia circa faciem & decubitus & respirationem ab Hippocrate dicta, & quæcunq;, vel per superiora, vel per inferiora euacuantur. & sanè si quod etiam symptoma circa quamlibet particulam corporis, vel ipsius actionem consistere videas, qualia certè mille in millibus ille scripsit, nullum ex iis negliger prætereas. Hæc quidem in omnibus febricitibus sunt communia. Quare in simplicissimis quoque, de quibus præsens est sermo, nihil horũ omittere oportet. Sed quoniam quæ à pulsibus & ab vri-

B

nis sumuntur, febris formã indicant: Pulsibus quidem nec phlegmones signũ habentibus, nec penitus inæqualitatem in vna arteriæ applicatione, vel si habeãt, eã omnino obscurã: Vrinis verò vel omnino iis, quæ secundum naturã sunt, similibus: vel nõ multũ à natura distantibus: Tunc accedere oportet ad vniuersa alia superius dicta. Ac cùm, veluti chorus, cõsonanter omnia loquantur, fidere iam oportet: & si velis, interrogare, nõ aliqua manifesta causa præcesserit. Nam si & hoc falsus fuerit ægrotãs; prima febris solutiõe expectata, lauare statim oportet: cùm fidelior tibi dignotio fiat ex ipsa solutionis forma. Nam & arteriarũ motio ei, quæ in sanis est, ex toto assimilatur. quippe cùm nulla alia febris ad id, quod secundũ naturã est, redeat: ne si tempus illud inter priorẽ extremitatẽ, & secundũ principium, interiacẽs, quã multũ fuerit, quemadmodũ in tertianis & quartanis. In illis enim febris signũ semper permanet: In diariis autẽ totũ deletur accessione cessante. Plurimis autẽ ipsarũ etiã madores, quibusdã verò etiã sudores vtilis post apparẽt: aut omnino sanè veluti vapor quidã copiosus ex profundo attollitur. Sed & vrinæ multo meliores nũc quã in febris initio tibi apparent. Et si capitis vel alterius cuiusdã partis dolor simul inuasẽrit, nec is ipse amplius perdurat. Et laborãtis facilis tolerantia, cùm maximum & ipsa sit indicium, ac veluti sigillum quoddam vltra omnia alia, febris mansuetudinẽ tibi indicabit. Et si, dum lauantur, nec horror quidã insolitus molestauerit, nec alia quippiam infuauitas: Et si post lauacrum deinceps in facili tolerantia



lerantia perfiterint: cōfidenter iam ipsōs nutries:  
ac vinum intrepidè bibendum præbebis, quantum  
præsentibus est conueniens.

Dignotio uia est ad curationē, & sine hac modus cu-  
rationis rectè cōfici nunquā potest. Necessariū igitur est,  
ut qui diariā febrē curaturus est, eius prius dignotionem  
possideat. Promptū ergo est dicere, diarias febres à pro-  
catartica causa fieri: quæ uerò ex putredine ortū habēt,  
non item. & hac re has ab illis distinguere oportet. Sed  
quoniā sæpenumero cūenit, ut febris, quæ ex putredine or-  
tum habet, cum aliqua procatartica causa inuadat: ut ex  
hoc sæpe decepti in exercitati medici suspicentur eā febrē  
esse diariā: hincq; negligentius uictū in dītuentes, magno-  
pere peccent, periculumq; nō uulgare laboranti cōparēt:  
ob id melius est uniuersam exquisitè diariarum febrū na-  
turam per uocata signa tum præsentia, tum præterita ap-  
ponere. Horū autem signorū alia sunt maxima ac princi-  
palissima: alia secundū habent naturā. Ac maximis quidē  
maximè credere oportet: iam uerò minimorū etiā suffra-  
gium est addendum. Nā hæc addita, maiora confirmant,  
atq; stabiliunt. Maxima autē sunt signa, quæcumq; à prin-  
cipijs sumuntur. Principia autē tria sunt, ut sæpius didi-  
cimus, cerebrū, cor, & iecur. Cerebrum sane haud multū  
nobis ad febris dignotionem confert: sed cor & iecur. at-  
que hæc merito. Nam febris proprius est affectus cordis:  
huius autem affectio per pulsus ostenditur. Quin & cali-  
ditas est succorum in uenis & iecore existentium: qui cer-  
tè per urinas ostenduntur. Igitur signa maxima in febrī-  
bus, urine sunt & pulsus. Reliqua uerò sunt accubitus, &  
eius differentia: & quæcumq; circa faciem apparent, in  
prognōstico iam ab Hippocrate decantata: respiratio, &



ipsius rhythmus: & si qua actio in aliqua particula oblaesa sit: & quae uacuatur, uel retinentur: & si qua particula tumorem habeat, uel aliquē dolorem: Hæc inquam omnia addere oportet dignotioni, quæ à maximis sumitur. Itaq; urinae in diaria febre habere debent subsidiam, hoc est hypostasim albam, leuem, & æqualem, ac sanorum subsidie similem. Parum tamen duntaxat in colore & consistentia à naturali statu digresse sint, ob febris nimirū caliditatem acriores quoquo modo reddite: & nullum putredinis signum habentes: est autē id, subsidie inæqualitas. Tales ergo sint urinae. Sed & pulsus magnus permanet, & celerior, & frequētior ob caliditatem. æqualis etiā sanæ est, ac nullam indicat inæqualitatem, nec cōtractionem accelerat: id quod febrium ex putredine ortarū proprium est: cum facultas insistat ac conetur per cōtractionem putredinosa, fuliginosaq; excrementa expellere. quod si inæqualitatem habeant pulsus, mediocris ipsa est. fit enim aliquando hæc ipsa inæqualitas ob febres diarias, quæ ex stipatione gignuntur: in his enim cum clausi sint meatus, nec amplius quæ digeri solita sunt, euacuentur, facultas ab ijs grauata, aliquam in pulsu facit inæqualitatem. Hæc ergo sunt maxima. Si uero omnia memorata cum his conueniant: tunc dignotionem confirmare, stabilireq; oportet. quandoquidem ipsa magis scientifica erit. Si etiam laborans febre sibi ab aliqua procatartica causa, uel aliqua ex ijs quæ circa ipsum sunt, euenisse dicat: tunc sanè statim post accessionis solutionem ad lauacrum abducendus est. Non tamen in ipsa morbi solutione dignotio negligenda est. sed certè tum in lauacro, tum post lauacrum signa aduertenda sunt: in lauacro quidē, si nullus ipsis fiat horror: nam hic in febribus ex putredine ortis, fieri natura solet, cum à

cum à lauacri tepore putredinosa excrementa fundatur, ac ad particulas sensibiles ferantur, easq; mordicet, hacq; de causa horrorem faciat. Sed & post lauacrum digitos ipsi arteria insicere oportet: & interrogare num aliquam præter naturam affectionem corpus habeat. Nam si reuera febris ipsa sit ex natura diariarum: nullum modum præter naturam pulsus indicabit: sed in omnibus sanorum rhythmum seruabit, non ut in tertianis, & quartanis, & reliquis omnibus ex putredine ortis. in illis enim, nec in interuallo etiam, inuenire licet pulsum, qui pulsui secundum naturam existenti, ex toto similis sit: sed is omnino putredinis signum habere conspicitur. In diarijs sanè unà cum acceptionis solutione morbificæ etiam causæ cessant, nec reliquæ amplius affectionis illius, quæ febrem pepererit, remanent. Quin & quibusdam ipsarum madores (quos Græcè *ῥιδα* appellant) laudabiles apparēt, quibusdam uerò sudores. Quæ sitūque dignum est, cum febris in spiritibus sit, unde sudor excernatur. Et dicimus, spiritum qui iam calefactus est, dum excernitur, succum aliquem circa superficiem inueniendo, eum attenuare, atque in sudores resolvere, secumque etiam excernere. Nonnulli uerò dicere conati sunt, spiritum festinare, ut digeratur: deinde densiori superficiem occurrendo, sisti: atque in aquæ naturam reuerti: hincque sudorem excerni. Hoc autem est absurdum. primum quidem, quoniā non spiritus sed uapor eiusmodi symptoma sustinere potest. Præterea, licet etiam demus spiritum posse in aquam conuerti: ipse tamen ubi conuersus fuerit, non amplius excerni poterit. Nā si meatus ita densati sunt, ut etiam spiritui non sint peruij, multo magis non permittent humorem exire. Crassior enim spiritus est humor. Quare hæc explanatio, haud est reci-

picnda: sed quæ à nobis dicta est. Differt autem quantitate mador à sudore. Sudor enim, est copiosus: madores autem, pauci. Omnia igitur hæc signa animaduertere oportet post balneum. Quin & urinas rursus inspicere oportet, atque attendere, si multo meliores nunc euaserint. Omnino uerò sane, si quod symptoma in febre acciderat, id & nunc soluetur. Et quod ultra prædicta colophonem, ac uestigium imponit, est ipsa facilis tolerantia laborantis. hæc enim præcipue diariæ febris dignotionem confirmat stabilitq;. Nam in ijs febribus quæ ex putredine oriuntur, aliqua omnino anxietas oritur, & difficilis tolerantia: putredinosis quibusdam seminibus ad os uentriculi tendentibus, & tale symptoma facientibus. Si ergo hæc à nobis memorata, consona sint, ac idem inter se inuicem loquantur, naturam febris diariæ indicantia: oportet confidenter lauare, & consueta uictus ratione nutrire. Dare autem debemus & ipsis uinum: eius mensuram, tum ad laborantis cõsuetudinem, tum ad præsentem necessitatem, metientes. hoc enim est quod ipse ait, quantum præsentibus est conueniens.

9 Nos uerò (vt nosti) ipsis dicere solemus, antegrefam causam à laborante dici \* nõ sustinentes. quod maximum est indicium eum non errare, qui talem quampiam sit adeptus facultatem. Si ergo manentibus adhuc animi affectibus consideratio fiat, ex pulsibus præcipue tentanda est, vt in libris De pulsibus scriptum est. Post hos autem & ab aliis dignotio est petenda. Si uerò illi quidem cessauerint, affectio autem remaneat: obscurum profectò ex pulsibus inuenies indicium affectuum, qui febrem fecerint, sed & sine pulsibus reliqua tibi sufficient.

Ex causis

\* Alias  
interrogare.



Ex causis morbificis (ut in precedentibus diximus) alie sunt procatartice, alie antecedentes, alie coniuctiue. Antecedentes igitur, atq; coniuctiuas oportet ut medicus sciens prænunciet: procatarticas uero à laborantibus interroget. Nunc autem ipsarum quoq; (quantum fieri potest) tradere nobis uult dignotionem Galenus, ut nimirum ipsas prænunciando gloriosi euadamus: nec ab aegrotis decepti, in curatione frustremur. Enim uero procatarticarum causarum alie sunt animales, alie corporee. Animalium itaque prius dignotionem tradamus. Sunt autem hæc, iracundia, tristitia, cogitationes, uigilia. Illud uero prius dicere oportet, ab ijs causis aliquando hominem, etiam dum morbo laborat, adhuc detineri. etenim sæpe uero multi febricitantes adhuc sunt irati, uel tristantur, uel cogitant, uel uigilant. uel igitur hæc ipse cause adhuc agunt: uel abierunt quidem, affectio autem quæ ab ipsis prouenit, in corpore remanet. Si igitur causis adhuc remanentibus, considerationem facimus: haud difficile erit ipsas dignoscere, pulsus tangendo. hi enim nobis, ea quæ cordi accidunt, produunt. Vniuscuiusq; autem horum differentia in libris De pulsibus didicimus. In illis enim dictum est, quis sit iratorum pulsus, quis tristantium, quis cogitantium, & quis uigilantium. Non tamè satis est pulsibus solum uti: sed & alia etiã signa adhibenda sunt, quæcũq; Hippocrates in prognostico, à colore, ab accubitu, à respiratione, & eius speciebus enumerauit. Si uero cause quidẽ cessauerint, aliquid autẽ omnino ab ipsis in corpore relinquatur: ex pulsibus quidẽ mediocriter id dignoscetur, quod si ipsi nobis non suffecerint, dignotio à reliquis petenda erit.

Communiter enim omnibus urinae sunt rufa. 10

In tractatione de Crisibus disputatio de coloribus



definita est: atque exquisitè in illa dictum fuit, quid sit rufus color, quid ruber, quid flauus, & quid pallidus: & quid singuli ipsorum remissi ex additione, sub, præpositionis indicati, subrufus, subflauus, subpallidus, & subruber. Hoc sanè in loco cùm sermo ad tyrones scriptus fuerit: prædictos hos omnes colores crassiori modo *ὑπερβαίνων*, id est rufos appellat: dicitque urinas communiter omnibus esse rufas, non ijs qui febre diaria simpliciter febricitant, sed quicumque, uel ex iracundia, uel ex memoratis affectibus febricitant. quandoquidem paulo post discemus, ijs qui ex densitate, & ijs qui ex bubombus febricitant, non rufiores esse urinas, imò potius albidiores.

¶ Adest verò iis qui ex tristitia febricitant, acrimonia magis quàm copiam caloris: sicuti contrà, iis qui ex iracundia. Sed & corporis gracilitas manifestior est iis quos tristitia, quàm iis quos cogitatio vexauit, oculorumque cauitas, ac insita quædam decoloratio.

Distinguit hoc in loco tristitiam ab iracundia. quod autem uult ipse dicere, nihil aliud est, quàm quòd in utriusque quidem & caliditas & siccitas inest: sed in tristantibus siccitas quidem maior, caliditas uero minor: in irascentibus contrà, caliditas maior, siccitas minor. igitur urinae in tristantibus apparent acriores quidem ob siccitatem, calidiores autem ob caliditatem: in irascentibus uero non ita inueniuntur: sed calidae quidem sunt, non tamen acres, id est non siccae. Aliqui etiam aliter exposuerunt, dicentes, in tristantibus urinas quæ excernuntur, laborantis sensum molestare, ac mordicare magis, minus autem calefacere, calefacere tamen. in irascentibus contrà: dum  
 excern

excernuntur, magis quidem calefacere, mordacitatem uero & acrimoniam non habere. Hæcque explanatio est uera. Quare ambæ recipi debent. Sed quoniam multam in his signis communitatem inuenit iracundia, & tristitia: adhuc etiam ab alijs manifestioribus signis, eorum nobis tradit differentiam. Nam in tristibus gracilitatem ait fieri totius corporis, ac præcipuè oculorum. Cum enim in ipsis multus contineatur spiritus, qui dudum ipsos in tumorem eleuabat: hic cum à tristitia sit digestus, concidere ipsos facit. In irascentibus autem non est hoc inuenire: quin potius ipsum corpus tumidius apparet, natura foras se uertente cum aliqua uehementia, hancque porro insequuntur & spiritus & sanguis. At sanè in tristibus pallidius (& ut simpliciter dicam) decoloratum corpus inuenitur. Nam cum caliditas innata in profundum secedat, & quæ in superficie sunt relinquat: necessariò ob sanguinis absentiam decoloratio oritur: quod in irascentibus nõ adest, ob iam dictam causam.

Hæc quidem sunt & aliis qui quouis modo cogitauerunt, communia. Maxime uerò & ex oculis distinguere oportet. Nã & ex his in sanis animi mores conuicere possumus, at in ægrotantibus certiora tibi erunt signa, si accuratè conspicerere queas. Sic igitur eos qui ob disciplinas & speculationem quandam cogitauerunt, à tristatis distinguere conuenit.

Tristitiam sanè iam ab iracundia diuinxit prædicto discrimine, ex urinis, ex gracilitate, ex oculorum cavitante, & ex decoloratione. Hæc autem in ijs etiam qui cogitarunt, conueniunt. Qua igitur re ipsos distinguemus? Ipse sanè hoc tacuit, illud duntaxat dicens, ex oculis distinguere

re ipsos oportere: quomodo autem distinguere oporteat, non addens. Nos autem hoc addamus: nempe in tristantibus oculos ueluti quiescere, ac sese haud mouere: in ijs autem qui cogitarunt, & moueri, & circūferri. Nunciant enim nobis oculi ipsos animi affectus: cum sint febræ cerebri, in quo anima habitat. Ac turpe est physionomonas quidem in sanis ex oculorū affectione quas les sint animi mores, pernoscere: nos uero in agrotantibus non prænunciare: cum euidentissimæ, ac uehementer conspicuæ sint eorum uersiones. quippe qui affectionibus animi inuicem respondeant. Illud autem, qui quouis modo cogitarunt, addidit: quandoquidem diuersæ sunt cogitationum causæ. Hic enim ob pecuniis cogitationibus uexatur: alter ob filios: alius ob præstantiorum speculationem. & simpliciter, ut generalius ipsa distinguamus, sic dicamus: Cogitatio uel ob præstantiora fit, uel ob deteriora, & ut simpliciter dicam, praua. Ac sciendum est, deteriorum rerum cogitationem cum corpore unã etiam animã deicere: Præstantiorum uero cogitationem corpus quidem deicere, at animam & recreare & augere, robustioremque (ut ita dicam) ipsam se ipsa efficere. Hoc igitur modo cogitantes à tristantibus distinguere oportet.

13 At eos, qui ex vigiliis febricitant, distinguit de-  
 \* Expla- colorationis forma, subtumida enim est ipsis \* fa-  
 nator vi- cies: & oculorum motus \* ligati, vix enim palpebras  
 detur le- attollunt: & humiditas b: sicci enim fiunt ijs, qui  
 gisse cor- tristati fuerunt, vel cogitauerunt. Cavitas autem com-  
 pus. mune est omnium symptomata, tristitiæ, vigiliarum,  
 \* dicitur, id est, ma- & cogitationum: non tamen sanè iracundiæ. In hac  
 nifesti, est in omni- enim nec oculorum cavitas, nec decoloratio sunt  
 manif



manifesta. caliditasque tum copiosior, tum celeriter ex profundo attollitur, nec pulsuum magnitudo diminuitur, sicuti in vigiliis & tristitiis & cogitationibus. Quare iracundiam clarè admodum ab his distingues: illa verò inter se, sicut ante dictum est.

Vigilias ab alijs distingui non est difficile. Habent enim tum quid commune cum reliquis, decolorationem ipsam: tum diuersum, quia corpore subhumido existente, unà quoque eiuscemodi decoloratio oritur. Hæc autem ipsa decoloratio oritur, quia haud probè concocti fuerint cibi. Sæpius enim didicimus, ut in somnis natura in profundum recedens, ac cibis uacans, melius concoctiones faciat, & nutritiones. Hic igitur uigilias necessario insequitur inconcoctio: hanc autem nutrimenti cessatio, quam Græcè atrophiam uocant: unde nec floridus ille sanguinis color in superficie uidetur. Sed & quæ ab inconcoctione genita fuere excrementa, dum in spiritum resoluantur, habitum occupando: aquosorem ipsum reddunt. Hi uerò palpebras ægrè mobiles habent: propterea quòd ipsæ excrementitia humiditate sunt repletæ. Diligenter quæ est animaduertendū. hoc enim in loco dicimus palpebras ægrè mobiles esse: quandoquidè in tristantibus nō palpebras, sed quæ intus est, pupillā. Sunt igitur in his palpebræ, ut diximus, humidiores: at in antedictis, iracūdia scilicet, tristitia, cogitationibus, siccæ. Licet certè aliquid cōmune in uigilantibus, & tristatibus & cogitantibus inuenire, ipsam nimirū oculorū cavitatē. Verū in tristatibus & cogitantibus causam diximus: In uigilantibus autē est hæc ipsa: quomodo? Nā ob siccitatē ex uigilijs ortā absumitur etiam

bus codi-  
cib<sup>9</sup>, quos  
viderim.  
fortè ta-  
men  
i. i. igna-  
ui, vel li-  
gati, ut e-  
tiam Leo

nicenus  
olim tra-  
duxerat.  
b Codi-  
ces manu  
scripti ita  
habēt: im-  
pressi ta-  
men ad-  
dunt, in  
palpebris.  
i. i.  
in palpe-  
bris.



etiam ipsis uisorius spiritus. In irascentibus autem hoc dicendum non est: quin contra, plerique prominentiores habent oculos: sicuti etiam totum ipsum corpus ualidius & calidius. quin & pulsus in his non sunt minores, sicuti in antedictis omnibus. in illis enim uirium debilitas, paruitatis causa est. in iracundia autem contrarium euenit: uiriumque contentio adest: quare pulsus etiam magnum fieri est necesse, conferente ad ipsius magnitudinem ipsa etiam caliditate. Illud duntaxat dicere oportet, ex irascentibus quosdam pallidos fieri & tremulos: non quia iracundia talem ipsis inferat affectionem: sed quia quidam metus iracundiae sit complicatus: qui uires deiciens, deolorationem etiam & tremorem facit.

- 14 Eorum uero qui ex lassitudine febricitant, cutis est ficcior, quam in aliqua alia diaria febre. Sed hoc quidem omnibus ex lassitudine febricitantibus in accessione tempore, quod ad vigorem usque protrahitur, est commune. ab eo uero tempore deinceps, plurimis, qui sane supra modum non laborarint, humidi quidam vapores, vel halitus calidus ex profundo attollitur. nonnullis uero etiam in temporibus, quae post vigorem sunt, ficcitas permanet. hocque praecipue euenit iis, qui supra modum laborarint, aut refrigerati fuerint, aut exusti una cum lassitudine. & quidem pulsus non eodem modo in utrisque se habent. nam in iis, qui supra modum laborarunt, parui sunt: in aliis uero, magni.

Completo de animalibus affectibus sermone, traditaque singulorum proprietate, transit consequenter ad corporeos affectus. ac inquit, quomodo febrem ex lassitudine  
ortam

ortam dignoscere oporteat. In his igitur cutis sicciior apparet, ab immodica motione digesto humore. Si igitur lasitudo multa fuerit, usque ad declinationem talis apparet siccitas: si autem moderata fuerit lasitudo, usque ad uigorem. hinc dum à calore resoluitur humiditas: per sudores excernitur, cutimque humidiorē ac molliorē reddit. Sed & in pulsibus quedam tradi potest differentia. Nam in immoderatis lasitudinibus cum uires dissoluantur, paruus fit pulsus: in moderatis autem, magnus: cum & caliditas adsit, & uires ad hunc pulsum faciendum impotentē non sint.

Quæ verò ex cutis densitate fiunt febres (den- 15  
santur autem hæc, vel frigescent, vel ex qualitate <sup>\* Alias</sup>  
aliqua adstringente \*confertim ei occurrente: cu- <sup>insolita.</sup>  
iusmodi illi qui in aluminosa aqua se lauerat, acci- <sup>\* Non est</sup>  
dit.) \* [Hæc solæ omnium febrium strictus est affe- <sup>in anti-</sup>  
ctus.] Dignoscere autem ipsas licet tactu, sicuti etiã <sup>quis qui-</sup>  
squalidas febres, & quæ ex lasitudine proueniunt, <sup>busdã co-</sup>  
& quæ ex exustione, neque enim harum densitas <sup>dicibus</sup>  
tactum exercitatum latere queat. Sed & caloris mo- <sup>Græcis.</sup>  
tio quodam modo resurgit: mitis quidem prima ap-  
plicatione apparēs: acris autē, si diutius immoreris.

Fit sanè febris diaria stipata aliquando cute, uerùm  
non in omni temperamento. In quibus enim id, quod dif-  
flatur, uaporosum & utile est: dum hoc cogitur, non fe-  
brem, sed plethoram gignit. hoc autem fit in calidioribus,  
humidioribusque corporibus. In quibus autem, quod dif-  
flatur, fumosum est & acre: hoc, cute densata, cum nõ am-  
plius digeratur, cogitur ac calefit, ac unã secum calefacit  
uniuersam materiam accendi idoneam. Gignit igitur fre-  
quentius

quentius etiam febres ex putredine ortas: si succi copia in corpore sit, quæ putrescere possit. sin quandoque eas non gignat: tunc certe spiritus incalescens diariam febrem excitat. Sic igitur à densitate febrem fieri ostendimus. Densitas uerò ipsa à qualitate, uel simplici, uel composita fit: A simplici quidem, uel refrigeratione, uel siccitate. nam in hyeme & frigida constitutione hoc euenire conspiciatur. sed & frictio sicca, & exustio cutim exiccans, densiorem ipsam efficit. Nonnunquam autem non est qualitas simplex, quæ cutim densat, sed composita: sicuti in adstringentibus se habet. nã hæc ipsa frigida simul & sicca sunt natura. ac plerique sæpenumero aliquo ex adstringentibus oleis se ungentes, uel in aqua aluminosa se lauantes, talem sustinere affectionem. Duas igitur dignotiones nobis tradit Galenus: unam à tactu, sicuti si rhu acceptis ac aqua dissolutis, manus fricueris: tunc certe inuenientur densati digiti, meatibus ipsorum ueluti coactis & densatis. In lasitudinibus igitur inuenire licet cutim sicciorem simul & exuccam: in stipatis uerò, ueluti strictam & densatam. una igitur est hæc horum dignotio. Secunda uerò ex Hippocratica lege procedit: quoniã Hippocratis tempore speculatio, quæ circa pulsus uersatur, nondum exquisitè excolebatur: nec ab ipsis pulsibus febrium significationes faciebant. sed manum imponentes super alias corporis particulas, maximèque super thoracem (qui domicilium est cordis, cuius sanè cordis proprius affectus est ipsa febris) dignotiones facere studebant. In his igitur, qui sunt densati, dum manus iniicimus, primum quidem caliditas pauca apparet: propterea quòd foras ire non permittitur, cum meatus clausi sint. ubi uerò diutius immorati fuerimus, & ob id cutim calefecerimus, ipsamque rariorem



rariorem fecerimus: ex diuturna manus applicatione calor resurgit, ac maior apparet: tuncque qualisnam ipse sit, percipitur.

Verum neque urinae his sunt rufae, neque corporis moles concidit. quare nec oculi cœcavi, sicciq; fiunt. sed sunt, quibus humidiores ac prominentiores appareant, quam qui secundum naturam sunt. Nec pulsus sunt minores, quemadmodum in tristitia, cogitationibus, & vigiliis, & in iis qui immoderate nimis exercitationibus sunt vli.

Rufae (hoc est *ῥυφῆαι*) nunc ab ipso dicuntur, quae pal-  
lidae (hoc est *ἄχραι*) sunt. Igitur in his urinae non sunt pal-  
lidae: quoniam humidum illud, quod per occultos meatus  
digeri solebat: cum nunc non item digeratur: cogitur, ac  
per arterias & uenas fertur, ac cum urina excretum, ob  
copiam colorem illius temperat: qui sanè color, urinae in-  
erat ob bilis admixtionem. Hocque scire oportet, urinas  
rariori existente cute, ac multa digestionem contingente,  
pauciores esse: si uero cutis sit densior, contrarium eueni-  
re, hoc est, copiosiores esse urinas. Hancque ob causam  
aestate paucae sunt urinae: hyeme, copiosiores: quamuis in  
aestate largiori potu utamur, in hyeme, minori. sed hoc ob  
digestionem, ut diximus, contingit. Itaque in his copio-  
siores quidem ipsis sunt urinae, quam in alijs diarijs febris  
bus ob aliam quampiam causam ortis. Sed nec corpus in  
his inuenire est gracile. quin saepenumero etiam tumidius  
est, cum digestio non fiat: ita ut nec oculorum etiam caui-  
tas in ipsis conspiciatur. Igitur nec pulsus minores red-  
dentur: quippe cum ualida sit facultas, propterea quod  
eius tenor ob digestionem compilatus non fuerit.

Hæ solæ



17 Hæ solæ ex omnibus febribus adstrictus sunt affectus.

*Hoc haud importune addidit Galenus: sed aduersus Methodicos intendens: qui sanè dicebant omnes affectus esse uel adstrictos, uel fluidos, uel complicatos, sicuti in libro De febris tradidit. omnes autem febres, adstrictum affectum esse opinabantur. Quare aduersus ipsos ait, si febris morbus adstrictus appellanda sit, illam duntaxat appellandam esse, quæ ob cutis densitatem fit.*

18 Febribus autem quæ ex bubonibus eueniunt, pulsus fiunt maximi, & celeres, & frequentes: & caliditas multa: ac post vigorem statim ex profundo humidus quidem vapor attollitur, calidus quidem sed suavis. Acrimonia enim ac mordacitas minime omnium eiuscemodi febribus inest. Et facies maxima ex parte ipsis rubicunda existit, & in maiori mole, urinaque subalbida.

*Febres ex bubonibus ortas dignoscere licet, primum quidem à pulsibus. Nam in his ob caliditatis copiam magni fiunt pulsus & ueloces & frequētes. Quod autem bubo nihil aliud sit, quàm phlegmone alicuius glandulae, neminem puto ignorare. nam in his (ut superius diximus) quando uel ulcus, uel alius quidam dolor fit: excitatur sanè natura ueluti properans, ut affecta particulae opem ferat, & ad ipsam fertur: secumque etiam nimirum fertur ipsius uehiculum, sanguis inquam & spiritus. hæcque glandulis tanquam imbecillioribus occurrentia, illuc decumbunt, ac phlegmonem excitant. uocaturque eiuscemodi res, Bubo. In his igitur post uigorem cernere est madores cutim*

res cutim irrigantes calidos ac suaues. talis enim est sanguineus succus, qui sanè in ipsis phlegmonem fecit. Quando autem humidum hunc uaporem (græcè *ixuáda* appellatum) suauem dicimus, minus prauum intelligimus. neque enim ita suaui in febre esse potest, ac si sine febre accideret: sed quia, ut in febris, mordacitas et acrimonia coërcita temperat aque est. Inest uero in his febris facies rubicundior, ac melioris habitus: utrunq; autem à sanguine fit. sed rubedo colore, moles autem consistentiæ crassitudinè percipitur. Urinæq; subalbide. Quærendum sanè est, quam ob causam in his albæ appareant urinæ. Ac Angelus quidem ait à glandulis in uesicam uasa tendere, per eaque materiam ex glandularum nutrimento transportari ac elargiri. alba autem est hæc ipsa materia. unaqueq; enim particula subiectum sibi nutrimentum ad sui ipsius naturam alterat. Hoc ergo nutrimentum (inquit) ad uesicam tendens, seq; urinæ miscens, albam ipsam reddit. Hæc opinio multis sanè modis everti potest. Primum quidem, propterea quod inuentum quoddam inquit, quod nos in dissectionibus non conspiciamus: neque enim bubonibus cum uesica communia conspiciuntur uasa. Sed licet hoc demus, haud tamen poterit exigua illa nutrimenti glandularum portio totam urinam colore inficere. Illud uero etiam ab ipso percuntabimur, utrum hæc uasa in uesicam referantur, necne. si igitur non referantur, nihil ad ipsam asportabunt: quare nec prædicto colore urinam inficient. si uero referantur, sanguinem etiam asportabunt. sicq; accidet urinam ob sanguinis commixtionem, rubram fieri. Quod uero omnium est maxime dubium, addere sanè oportet: nimirum urinas albas apparere non solum in quibus phlegmone in coxarum glandulis est: sed et in ijs, qui

tumorem in axillis, & circa aures habent : & de reliquis omnibus glandulis eodem modo. Quid ergo ad hæc est dicendum? Nos certè dicimus, eiusmodi urinas accidere: propterea quòd bilis ad has glandulas tendens, sanguini in ipsis infarcto miscetur, ob idq; per huius priuationem urinas albas apparere. Sicuti aliquando in ijs qui capite dolent, uidemus urinas albas fieri, propterea quòd bilis, (quippe quæ tenuiorum sit partium) sursum uniuersa fertur: ita ut deinceps urinam colore non inficiat. Hic igitur etiam hoc dici potest ob bilis, scilicet, absentiam urinas serosi excrementi naturam ostendere: album autem natura est hoc excrementum. Illud porrò addi oportet in artis operibus sæpe à nobis uisum, nimirum in quibusdam qui ex bubonibus febrem diariam incurrerant, urinas apparere biliosiores. Hoc autem euenit, cum & totum corpus calidius & sticcus, proindeque biliosius compertum fuerit: tumorque ille qui in glandulis existit, erysipelatosus fuerit, quippe à biliosiori sanguine genitus.

19 Commune autem omnibus his diariis febribus est ipsa pulsus æqualitas.

*Æqualitatem quæ in pulsu est, communem esse ait, inueniriq; in omnibus diariis febribus, quoniam nondum in his dissoluta est facultas: sed adhuc ualida est. quare cum ualida sit, æquales faciet pulsus.*

20 Nam parua admodum ex his febribus eam, quæ in vno icu est, inæqualitatē præ se ferunt: sed neq; hæ valde manifestè, nec euidenter. Tales sunt diariarum febrium notæ.

*Hoc ait propter eas febres, quæ ob cutis densitatem fiunt: nam in his obserata ea, quæ digeri solebant, facultatem*

*tem*



tem grauant, sicq; inaequalitatem quæ in uno est ictu, efficiunt.

Curare autem oportet lauacro quidem omnes. 21

Consequenter hic scriptor, cum nobis diaria febris di-  
gnotionem tradiderit, causasq; ipsam gignentes inter sese  
distingueudas docuerit: deinceps ad curationis modum  
transit: qui sanè & communis & diuersus est. siquidè dia-  
riæ etiam commune quidem habent, ut ex spiritu incal-  
scente accendantur: diuersum autem, ipsarum causarum  
uarietate. Atque in curatione lauacrum quidem in omni-  
bus assumimus: uerùm pro causis febrem facientibus, uten-  
di modum uariantes, ita unicuiq; congruam facimus cu-  
rationem. Sed quoniam lauacri mentionem fecimus, agè  
paucà de ipso disseramus (absolutissimã enim de ipso spe-  
culationem in libris Curatiuæ methodi habemus) breui-  
terq; quæcunq; ad tyrones dicere licet, in memoriã reuo-  
cemus. Inquiramus ergo differentie lauacrorũ partes, ea-  
rumq; singulorum facultatẽ. Lauacrorum igitur quædam  
sunt sulphurosa, quædam aluminosa, quædam simpliciter  
aliam quandam uitiosam habent qualitatem: quædam ex  
potabilibus sunt aquis. Hoc igitur in loco de potabilibus  
sermo nobis sit, quæ sanè naturã possunt tum asperitates  
æquare, tum excrementa digerere, tum intemperaturas ex-  
tinguere, tum facultates corroborare. Balnei autem tres  
sunt partes. prima enim est aër ipse calidus: secunda est so-  
lium (hoc est δεξικερὸν) calidæ aquæ: tertia est solium frigi-  
dæ. Quidam sanè sine methodo arbitrati sunt unã esse bal-  
nei facultatem: ita ut decepti fuerint, credẽtes id calidam  
& humidã in uniuersum habere facultatẽ. Nos equidè ca-  
lidorũ diuersitati mentẽ adhibẽtes, diuersam quoq; ipsius



facultatem pronunciamus. Nam aer calidus digerit magis, minus uero humectat. Natatorium autem (hoc est καλολυμβήθρα) calidum contra, magis quidem humectat, minus uero digerit: digerit tamen. Frigida uero aqua genitam a lauacro intemperiem consolatur, ac extinguit, quin & meatus densat: ita ut non permittat facultates euolare. His ergo ita traditis, nihil sane difficultatis erit, diuersis diariae febris causis, diuersi etiam lauacri usum adaptare.

22 Sed qui ex cutis densitate, vel ex bubonibus febricitant, ne si in balnei aere immorari iusseris, quicquam laedes.

Et hoc merito, nam hi ampliori indigent digestionem: illi quidem qui ex cutis densitate febricitant, quoniam ob hanc densitatem, quae digeri erant solita, intus in corpore obserata sunt: illi autem qui ex bubonibus, quoniam copia adest sanguinis, a quo influxio in bubonem facta est, ut paulo superius diximus.

23 Reliquos uero omnes quam celerrime ab aere abducere oportet. sed in aqua etiam si diutissime uersari uelint, permittendum est.

Iratos intelligit, tristatos, lassitudinem perpeffos, uigilias passos, cogitationibus uexatos, quandoquidem in his omnibus communis est ipsa siccitas, humectarique exposcunt. Permitteremus igitur ipsos in calida aqua uersari, quippe quae possit excrementa a febre genita digerere, ac in eorum uicem, utilem intrudere humiditatem.

24 Oleo autem & tepido & multo, & mollibus manibus diutius perfricare oportet: praecipue quidem qui ex lassitudine, post hos autem, qui ex stipatione, ac tertio, qui ex bubonibus febricitant.

Sciend

Sciendum est oleum relaxantem, ac diaphoreticam hoc est digerentem, facultatem obtinere: sed idem sanè simpliciter corporis meatus oblinire, hincq; ipsos occupare, ac digestionem prohibere ob substantiæ uisciditatem: cum moderata autem perfrictione caleferi, atq; recalescere corpus, ipsumq; rarefaciendo, excrementa ad digestionem prouocare. Quoniam ergo in ijs qui lassitudinem perpepsi sunt, mediocris quædam fit phlegmonosa affectio tum in musculis, tum in articulis, sicuti declarat dolor ille, qui post lassitudines remanet: ob hæc causam unctio olei tepidi usus est. eiusmodi enim oleum relaxare natura potest. Ac sanè emollire iubet longiori tempore: mollesq; etiam uult esse manus, quæ perfricant. nam duræ indurare, siccare, & molestare solent. Sic porro in ijs qui lassitudinem perpepsi fuere, largè est utendū oleo, relaxandi gratia duntaxat. Secundaria autè ratione in stipatis ipso utimur, quod potest meatus referare, ac excrementa digerere. Ob hanc uerò causam & ijs qui ex bubonibus febricitant, ubi plenitudo adsit, moderata opus est digestionem.

Et lauare sæpe quantum fieri potest: tales o- 25 portet.

Tales dixit, eos qui proximè fuerunt memorati, ij inquam, qui ex lassitudinibus, & qui ex stipatione cutis, & qui ex bubonibus febricitant. Hi enim longiori tēpore indigent lauacro. Probè enim addidit sermoni, quātum fieri potest: nam quando facultas obfisteret, non amplius sanè lauacrum, imò nec ullum aliud præsidium assumetur.

Comedere autem ii sæpe possunt, qui ex lassitudi- 26 nibus febrè incurrerunt: nò tamè ii qui ex stipatio-

ne, nec qui ex bubonibus febricitāt. sed vtrifq; his tenuis victus ratio vtilis est. Iis verò qui ex lasitudinibus febricitant, quæ concoquere possunt, imperare oportet vt comedant, inconcoctione sola euitata.

Consequāter post lauacrum ad victus rationis modum transit. hancq; rursus victus rationem recta methodo determinat. Iis quidem qui lasitudinem perpeffi sunt, quoniam plusquam cōueniebat, digesti sunt, id quod deest, restituere uult: ac sepe ipsis cibum præbet. Illis uerò qui ex stipulatione, uel ex bubonibus febrem inciderunt, nō item, quoniam in utroq; horum plenitudo est.

27 Sed & vinum bibere, quantum possunt conuincere, sunt permittendi. Scopii autem mensuræ, qui & aliorum omnium, sunt facultas ægrotantis, ætas, temperatura, consuetudines, anni tempus, regio, atque alia id genus.

Quoniam uult lasitudinem perpeffos reficere, imbecilli in ipsis existēte facultate, uinū exhibet, quippe quod possit celerrimè in uentriculo in chylum redigi, celerrimèque in iecore in sanguinem uerti, atq; uniuersum corpus nutrire. Vini autem mensurā ab ijs omnibus quæ eiusdem sunt ordinis (græcè σβόλιχα appellāt) assumit, ac primum à facultate. si enim ipsa imbecilla fuerit, minus uini ipsi dabimus: si robusta, largius, quantum & ipsa concoquere potest. Sed & ab ætate sumit. si enim senilis sit, largiorem quantitatem exposcit: si iugens, minorem. A temperatura item. si quidem calidior minori quantitate, frigidior largiori indiget. Quin & à consuetudine. nam si in sanitatis tempore uini potator erat, largiorem modum ipsi dabimus: si talis nō fuerit, minorem. Et in ætate quidem



dem minus, in hyeme plus: Ac magis etiã in Scythia plus, in Aetiopia autem minus dabimus uini: Et ab alijs, etiam eodem modo.

Qui verò ex bubonibus febricitarunt, arcendi sunt à vino, ante quàm bubones soluti fuerint. 28

In his enim sanguineus succus ex uini potione duplicatus, maiorem tumorem efficit: ideoq; etiam febrem.

At qui stipati sunt, si parum hoc passi fuerint, nimè verò sunt plethorici, non sunt à vino prohibendi: si verò multum patiantur, ac plethorici sint, prohibere eos confert. 29

In stipatis diligentius aduertendum est, nunquid uino uti possint, an prorsus à uino sint arcendi. Limitatione autem indiget oratio. Nam si multa sit stipatio, ac corpus plethoricum, non dabimus uinum. probabile enim est ab ipso materias suas duplicari, ac particulas aggredi, multitudinèq; obstructionè facere. si autem pauca sit stipatio, nec succorum copia adsit: tunc uinum dabimus, ut caloris mediocritate, tũ meatus rarefaciat, tũ facultatè roboret, quæ sanè roborata, causis ipsam uexatibus magis resistit.

Qui verò ex vigilis, vel ex aliquo animi affectu febricitarunt, ubi laueris, humectante, ac boni succi alimento cibare eos oportet. 30

In omnibus sanè uictus ratio, quæ boni succi sit, instituenda est: ipse tamen peculiariter ipsius meminit in affectibus animi: ut qui sciat, ab ijs præcipuè corpus deprehendi, ac à nulla re ita posse dissolui facultates naturales, ut ab immoderatis animi affectibus. Atq; ob hanc causam, quicumq; extra hos sunt, hoc est à curis cogitatio-



nibusue, ac ab alijs animi affectibus soluti ac liberi: omnia, quæ sibiipsis offeruntur, & concoquunt, & transmutant, eaque superantes, emolumentum ab ipsis haud exiguum corpori acquirunt. Quicumq; uerò tristantur, uel cogitant: ea etiam quæ facilia admodum sunt ad concoquendum, non concoquunt, uel temporis longo tractu, ac uix. Quoniam igitur in diarijs febribus, quæ ob animi affectum ortæ sunt, succi acriores euaserunt, ac uniuersus corporis habitus siccior: ob id uult alimentum ipsis præbere, quod & boni succi sit, & humidum, quodq; transmutari non secundum qualitatem solum, sed etiam secundum quantitatem possit.

31 Vinum autem præcipuè iis qui uigilarunt, intrepidè est dandum, nisi caput doleant, uel tempora pulsent: quod fanè in omnibus etiam aliis est obseruandum.

Quoniam per uigilias tum totum corpus exiccatum est, tum uerò etiam sæpenumero contingit inconcoctionem oriri, à qua multa pariuntur excrementa: ob id in his uinum intrepidius exhibet: tanquam possit, tum exiccatum corpus humectare: tum excrementa ad excretionem prouocare. propterea quòd naturales effluxus ac meatus, fluidiores facit. Obseruandus autem duntaxat est in his, capitis dolor. Nam uinum celeriter in uapores transiens, affectum locum occupat, repletq; , ac distendit: ac præcipuè quòd dolor ipse opem fert, ut uinum ad locum affectum feratur: cum partes dolentes (ut sæpius didicimus) natura soleant fluxionem suscipere. Hunc ergo capitis dolorem non in ijs tantum qui uigilarint, sed in reliquis omnibus obseruare oportet, in quibus uini potionem assumimus.

Sed

Sed & iis qui iram, vel tristitiam, vel cogitationem passi sunt, vinum est dandum. 32

*Iram (græcè ἰργή) uocat moderatam iracundiam.*

*Quòd autem in his, & in ijs, qui tristati fuerunt, & in ijs qui cogitarunt, uinum dādum sit, quòd siccitatem ab ipsis in corpore genitam humectare ac irrigare possit, non est sanè qui dubitet.*

Iratis autè, quando omnino extra hunc affectum sunt: prius verò, haud tutum est vino uti. 33

*Et hoc iure meritò: si quidem iracundia, ebullitio est sanguinis circa cor existentis, ac certè hanc ebullitionem uini potio fouet.*

Tentandum autem est, ut ei quod tristitiam intulit, contrarium opponamus: lassitudini quidè quietem: uigiliis verò somnū: iræ autem, & iracundiæ, & tristitiæ, eā quæ ex sermonibus, actionibus, spectaculis, & enarrationibus percipitur animi incunditas. Sic & qui cogitauit, omnino à ratiocinatione cesset. Et qui ob bubonem febricitauit, ipsum prius curet, & multo prius vlcus, à quo cōstitit. Hæc tibi februm diariarum, indiciaq; & remedia sufficiant 34

*Quoniam commune est in ira & iracundia & cogitatione & tristitia, hoc ipsum, tristari inquā: omnes enim omnino tristitiam quandam habent: irati quidè, quoniam iniuria fuerunt affecti: illi uerò qui cogitarunt, quoniam ipsis non abiit id, quod cogitatur: tristati autem, indidè: ob hanc causam communem etiam illis opponit curationem, eam quæ à uoluptate sumitur. Ipsa enim succos corporis, ac præcipuè sanguinem fundēdo, in uniuersas particulas extendit: ac per huius ipsius præsentiam, totum corpus humectat, ac sanè à memoratis affectibus liberat*

Oportet autem de laborantis natura coniectari, ac conuenientem sibi facere animi iucunditatē. Si enim quis fuerit sermonis amator, uel historiarū cupidus, huic medicus historiarum officia enarret, uel alia id genus dicat: si in philosophicis disciplinis fuerit enutritus, philosophicas ratiocinationes inuestiget, & philosophorum officia explanet: si spectaculis uacet ac delectetur, medicus quidem huic nihil dicat, sed alios ad eiusmodi enarrationē faciendam præparet. se penumero autem ad ipsa spectacula eos emandamus. Et, ut semel dicā, pro laborātis modo, uoluptatis etiam differentia excogitari debet.

35 Reliquarum uerò februm alię ex phlegmone, alię ex succis accenduntur.

Diximus, quemadmodum februm alię ex spiritibus, alię ex humoribus, alię ex solidis partibus fiūt. Differuit autē prius de ijs, quę ex spiritibus constituūtur. tradiditq; ipsarum tū dignotiones, tum curationes. Transit dehinc ad eas, quę ex succis fiunt. Nam de hecticis nullum in his libris sermonē faciet, quoniam Glauco petijt, ut sibi curatio scriberetur morborū frequentius eueniētium. Hectica uerò febris non est ex ijs, quę frequentius accidāt. Earum igitur quę ex succis proueniunt, alię quidem in toto corpore succum habent putrescentē, & synochi, id est continentes fiunt. alię autē in una particula obstructionem faciunt quorūdam meatuum, unde etiam febres periodicę, in est quę per circuitū repetunt, fiūt, & phlegmonem, uel alium quendam tumorem faciunt. Ac rursus februm hæc quidem intermittentes, hæc uerò continuę. Intermittentes quidem, quęcunque materiam extra uasa habent. harum autem



autem ipsarum rursus hæc quidem cum symptomatibus inuadunt, hæc uero sine symptomatibus. Igitur hoc in loco non de ijs differet febris, quæ ex phlegmonis fuit, sed de alijs: ac rursus prius de ijs, quæ sine symptomatibus sunt. disputabit autem de symptomatibus quoque in succedentibus. Intermittentes igitur febres, uel ex pituita putrescente fiunt, ac faciunt quotidianam uocatam febrem, uel ex staua bile, & faciunt tertianam: uel ex melancholico succo, & faciunt quartanam. Ac harum sanè traditurus est dignationes, curationesque. ac prius de tertiana tractabit: quantum quidem hæc alijs benignior est, ac mitior, ac præterea hominibus plurimum euenit.

Et quæ ex phlegmonis ortum habet, ueluti symptomata quedam sunt partium phlegmone affectarum: nomenque morbi denominatiue magna ex parte ab affecta particula sumitur, phrenitis, uel peripneumonia, uel pleuritis, uel quid aliud tale. De his certè posterius dicemus. Quæ uero ex succis acceduntur febres, hoc ipso uocantur febres, & non sunt symptomata morborum, sed ipsæ morbi.

Quoniam febris ipsa non est symptoma (neque enim excretorum, uel cohibitorum naturam habet, nec est in genere affectionum corporis, nec sanè etiã læsio est actionis, sed potius ipsa actionem lædit, morbus cum sit,) ideo nunc noluit ipsam simpliciter uocare symptoma, sed ueluti symptoma. neque enim est, sed re uera sicuti symptoma morbum consequitur: ita etiam phlegmonas hoc in loco febris sequitur instar symptomatis. In alijs sanè eiusmodi febribus, quæ primitus fiunt, non item sequitur, sed ipsa prima fit: alia uero quedam symptomata ipsam omnino insequuntur.

HARUN



37 Harū verò quædā quidē sunt sine symptomati-  
bus, quæ certē sunt mitissimæ: quædā verò vnā cum  
symptomatibus infestant. Dicitur sanè à nobis de  
prioribus febribus, quæ sine symptomatibus sunt.

*Quærendum quonā modo hoc in loco dicat quasdam  
febres esse absq; symptomate. nullus est enim morbus, qui  
actionem nō ledat. quoniā & hæc est morbi finitio, affe-  
ctio præter naturam, actionem ledens. est autem actionis  
lesto, symptoma. Quomodo igitur ipse hoc in loco ait, fe-  
bres quasdam esse absq; symptomatibus? Ad hoc dicimus,  
symptomatum quædā esse morborum specifica, ac omnino  
vnā cum ipsis inuadere, quæ ab empiricis pathognomo-  
nica uocātur, tanquā affectuum ideam ac formam decla-  
rantia: quandoquidem eorum naturam cō caractere obfi-  
gnant: sicuti in pleuritide tussis, febris, spirandi difficul-  
tas, punctorius dolor: quædam uerò posterius apparere,  
ac superuenire, aliena nimirum. de quibus nunc ipsum lo-  
qui dicimus, nō de ijs, quæ ex necessitate superueniūt. Po-  
test & alio modo dici, nempe febrium has quidem cum  
symptomatibus inuadere: has uerò absque symptoma-  
tibus. Symptomata autem dicimus non obuia quæque,  
sed quæ adeo sunt praua, & maligna, ut seuitia sua fa-  
cultatem deiciant: ac totā artem ad se trahant ob infe-  
stationis uehementiam. Hoc igitur in loco de ijs febribus  
disputabit, cum quibus nullum id genus symptoma vnā  
adest. posterius uerò & de reliquis disputabit.*

38 In quibus maximè si fieri possit primo die digno-  
scenda est qualisnā sit febris, diurnā ne an acuta.

*Ingridiētes ad ægrotum in prima die quærerere statim  
debe*

debemus an diuturnus sit morbus an acutus. hoc enim nobis ad formam dietæ figurandam cōferet. Nam si propè sit uigor (quod in acutis euenit) tenuiorem dietam instituemus, uel in inedia seruabimus: ne alimēta dantes, uires tum ad alimenti confectionē, tum ad morbi curam distrahamus. Nam si alimentum sumptū negligentes aduersus morbum certauerint, accidet ut illud alimentū inconcoctum cū sit, materia febris fiat: hincq; morbus fortior factus in uires irruat, ipsasq; deiciat. Si uerò alimenti confectioni tota incubuerint, morbus (quippe qui nō amplius habeat quod contra se certet, ac resistat) fortior seipso fit, ac naturam affligit. Si uerò longè distet uigor, pleniorē uictus rationem instituemus. ne tēporis spatio ab inedia uires dissolutæ, imbecilliores seipsis circa uigoris tempus fiant. quādo præcipue naturæ aduersus morbū certamen est. Hoc quæcū animauertisset Hippocrates, dixit. Quibus ergo statim uigor est, ijs statim tenuis uictus est adhibendus: quibus uerò posterius, in ipso uigoris tempore, & parū ante illud, subtrahere oportet. prius uerò uberior uictus adhibendus est, ut ager sufficiat.

Et utrum ex iis quæ intermitteptes vocantur, an ex continuis. Quod si primo die fieri non possit, at secundo certè inueniretētabis ideam febris. quod si nec in hoc quicquam firmiter cognitum fuerit, in tertia saltem omnino aliquid tibi manifestius apparebit.

Intermittens est febris, quæ interuallum purum habet. fit autē hoc, quando materia extra uasa est. Continua autem, quæ nullam requiem, ac laxamentum præbet naturæ. hoc autem fit, cū materia intra uasa est. Diuturna ergo ergo an acuta sit febris, quærere debemus ob dietæ formam

*mam, ut diximus: intermittens uerò an cōtinua, ob cibandi tempus. Sciendū sanè est naturam egere semper alimento, quod basim ac sedem illius, quod digestum est, ipsi repleat, Sed hoc ipsum alimentū præcipuè dandū est, quādo ipsum concoquere, ac conficere potest. concoquit autem quando pura ac integra est, nec à febris caliditate uexatur. quare in interuallo dandū id est. Si enim in accessione demus, facultas quæ à febris intemperie deiecta est, ipsum superare non potest. Alimentū autem non concoctū materia fit febris. Et hoc est, quod Hippocrates in Aphorismis ait. In accessionibus subtrahere oportet: nam addere, nocuum est. Dandū igitur est alimētum in interuallis. Sed hæc dici possunt in intermittentibus. In continuis uerò quid utique quis faceret? neque enim in his inuenire licet remissum ac quietum tempus, uerū continua est febris. Tamen in his etiam fit mæopyrexia id est, febris diminutio, quæ interuallum imitatur: tuncq; alimentum dandum est, non quando accedunt, quandoquidem ea, quæ dicta sunt, omnino euenient.*

40 Nam pauca omnino febres quarta die ad exquisitam sui dignotionem indigent. Dicam uerò tibi, quàm breuissimè fieri poterit, signa, ex quibus speciem febris intelliges.

*Hoc ob compositas febres ait: nā simplices prima die dignoscere licet. At quoniam cōpositæ quædam sunt, quæ ita inuadunt, ut exquisite prima die non dignoscantur, nonnunquam autem neq; secunda die: in his necesse est tertiam diem, uel etiam quartam aliquando ad exquisitam sui ipsarum dignotionem expectare.*

41 Prolixius autem ac manifestius alibi omnia dicta sunt.

Hoc



Hoc in loco ait, pauca tibi differam de talium febrium dignotione. Absolutiorem uero de his considerationem, tum in secundo de Crisibus libro, tum in libro de Differentia febrium habemus. Sciendum tamen est significationibus hoc in loco positis nihil esse perfectius. Vniuersam enim artem, quæ de ipsis habetur, citra defectum hoc in libro tradidit.

Quæ igitur cū rigore inuadunt, non ab re ex earum numero esse suspicaberis, quæ per circuitū in festant. Tertianæ enim & quartanæ cum rigore ferè semper accessione faciunt. Sed tertianæ quidem in primo statim insultu sæpè numero cū vehemēti rigore incipiunt. Quartanam uero non uidi cum vehemēti rigore incipientem, sed tempotis spatio magnitudo illi superuenit.

Ingressus ad laborantem statim in prima die inueni ipsum rigore detentū. Hoc, inditio mihi fuit hęc eiusmodi febrem ex putredine esse (nam nulla ex ijs quæ sine putredine sunt, rigore infert): quin & eandē esse intermittentem. Sed nō satis est, hęc solum scire: uerū deinceps etiā febris speciē inquiri, utrū tertiana, an quartana, an quotidiana sit. Tertiana ergo rigore habet à principio uehementiorē. sensus autem ab ipso rigore prouenit, ueluti pungentis cuiusdā rei ac stimulantis, quod ob succi tenuitatem ac acrimoniam cōtingit. Quartana, in principijs ualidū nō habet rigore: quoniā frigidus est succus ille, ac terrestis, egregiè mobilis. progressu tamē tēporis, quoniā à febris caliditate attenuatur, ualidior ipsis fit rigor. Ac idiotæ quidē ob hęc cōturbātur, putātq; grauiorē ipsis fieri morbū, cū rigor fuerit intēsus. Artifex uero Hippocraticos oculos adhibēs, febrem in melius progredi pronunciat



nuntiat. Neque enim uehemens in quartana rigor fieret nisi coctionis signum appareret.

- 43 Adde quòd neque statim à principio magna ex parte hæc febris simul inuadit. sed ubi alię prægressæ fuerint, cõtingit. Quartana igitur errabundis & erraticis, quas vocant, febribus superuenit.

Magna ex parte, adiecit, quandoquidem quartana interdum ex seipsa inuadit, non prægressis ipsam erraticis febribus. hoc autẽ euenit, quando lien erga actionem, quæ melancholicum succũ attrahit, imbecillior redditus, permittit ipsum unã cum sanguine ferri. hincq; abundantiore eo reddito ac putrefacto, fit quartana. Vt plurimum uerò erraticæ febres ipsam præcedunt, hanc ob causam. Melancholicus succus duplicẽ habet generationem. fit enim uel à fæcoso sanguine, uel à flaua bile superassata. Quoniã igitur non æqualiter uniuersa flaua bilis superassatur, sed pars quidem ipsius citius, pars uerò tardius: ac simpliciter, superassatio ipsa inordinata fit: ob id, dũ mutatio fit, inordinatæ etiam febres oriuntur, quæ nullũ seruãt ordinem, sed aliquãdo circa aurorã inuadunt, aliquando circa uesperas: atque quandoque duobus interiectis diebus, interdum tribus, nõnunquam etiam singulis diebus, prout mutatio succixanthocholici id est flauis, biliosi in nigrum facta fuerit.

- 44 Quotidiana uerò raro cõstituitur, qui nos uentriculi affectum fit: quemadmodũ quartana ex male affecto liene, tertiana ex iecore generatur.

Quotidiana febris, quoniã ex pituita putrescente fit, hæc autem pituita præcipuẽ colligitur circa uentriculũ, ac stomachum, ubi & prima concoctio est ipsa pituita: ob hanc sanẽ causam in ore uentriculi, & in uentriculo abundans

*dans, quando nonnunquã putrefacta fuerit, quotidianam inducit febrem. Ipsum autem os duntaxat dixit uentriculi, non quia in uentriculo non sit pituita, sed quia cum in utrisque locis ipsa sit, os magis sentit, quod exquisito sensu sit præditum.*

Quæ igitur cum vehementi rigore incipit, par magis est tertianam, quàm aliquam aliarum febrium esse. Si verò etiam alia quæ deinceps dicentur, attestentur, hanc statim euidenter in prima die tertianam esse dignosces. Si verò cum pauco rigore incipiat, tunc magis & aliis notis est mens adhibenda. quoniam non quotidiana & quartana solù, sed & semitertiana & alia quæpiam ex cõtinuis esse potest. Aliæ verò notæ sunt, caliditatis tum qualitas, tum quantitas: arteriarum motio: ipsa etiam rigoris, qui sentitur, forma: tempus item anni, & regio, & cõstitutio, & ægrotantis natura & ætas, & quæ præcessere, & quæ cõsequuntur. Caliditatẽ enim multã & acrẽ esse oportet: Pulsus verò magnos, vehementes, frequentes, & celeres, ac omnis inæqualitatis, præter quã febrilis, expertes: Rigorẽ etiã, ac si corpus ab acuta quadã re magis quàm à frigida pungeretur: cum, qui quartana vel quotidiana detinentur, frigidum rigorem sentiant. Tempus autem anni æstiuũ esse debet: Sicuti fanè & regio calida, & præsens cõstitutio. Sit verò ægrotantis natura calidior ac biliosior: & ætas adolescentiæ: exercitatioq; potius quàm ocium præcesserit, ac exustio potius quàm refrigeratio, atque indigentia potius, quàm facietas: & vigiliæ, & tristitiæ, & lassitudines, & vehementes cogitationes ad hoc conferant. Quòd si plerisque

D

aliis ægrotantibus tunc temporis febribus tertianis corripì contingat: hoc utique præter ea quæ dicta sunt, maximum erit indicium.

Quod uult dicere, tale est. si uehemens sit rigor, suspicandum est hunc ipsum tertianæ febrì præcedere, si uerò non sit uehemens, nondum suspicari oportet tertianã esse. Contingit enim hoc fieri, & ob quartanam, & ob quotidianã: nam in his etiã fit refrigeratio quædam, quam nunc uocauit moderatum rigorem. Quin & in semitertianis hoc tale accidit. rigor enim omnino in his fit ob xanthocholicũ succum: temperatur autẽ atq; coërcetur eius uehementia ob pituitæ admistionẽ. Aliquãdo etiã in quibusdã cõtinuis fit minor rigor, ut in caus. cõtingit enim quãdoq; bilem, cum tenuissimarũ sit partium, haud posse totã in uasis cohiberi, sed nõnihil ipsius extra uasa excidere, hocq; moderatum rigorem facere. Quare haud tibi sufficet rigoris paruitas ad exquisitam tertianæ dignotionem: sed deinceps reliqua signa aduertere oportet. Reliqua autem signa sumuntur, uel ab ijs quæ secundum naturam sunt, uel ab ijs quæ præter naturã, uel ab ijs quæ præcesserunt, uel ab ijs quæ simul inuadunt. Ab ijs quidẽ quæ secundũ naturam sunt, quærẽtibus nobis laborantis temperaturã, si sicciior sit: & etatẽ, si uigens, hæc enim biliosi succi est ferax: anni uerò tẽpus, si æstas, & regionẽ, si calida & sicca: & constitutionẽ, eodẽ modo. Sed etiã quæ præter naturam sunt, quærenda sunt, ut caliditatis quantitas, & qualitas: quantitas quidẽ, quoniam materia quæ facillẽ accenditur, multam accendit caliditatẽ: qualitatẽ uerò, quoniam hanc oportet esse acrem & erodentem. Sed & arteriarũ motiones indicant. maximi enim in his sunt pulsus & uehementiores, & celeres, & frequentes. hocq; iure. siquidem  
calid



caliditas est, quæ usum stimulat: ac facultas deiecta nõ est  
 ob succi leuitatẽ & \*leuitatẽ. Inæqualitatis tamẽ sunt ex-  
 pertes. Nam inæqualitas facultatis imbecillæ est soboles.  
 Præterquã febrilis. Diximus enim in lib. de Pulsibus febrile  
 inæqualitatẽ à Gal. uocari, quãdo extremitates dilata-  
 tionis uelociores sunt medijs. nã in interna extremitate fa-  
 cultas accelerat, ad dilatationẽ stimulata, ut intemperiem  
 à febre concitatam refrigeret. in externa uerò extreni-  
 tate adhuc magis accelerat, stimulata ad contractionem.  
 ut excremẽta fuliginosa à febre genita excernat. Quin &  
 fitis ipsis adest multa, ac biliosus uomitus. Ita ergo ab ijs,  
 quæ secundũ naturã, & ab ijs, quæ præter naturã sunt, &  
 ab ijs, quæ simul inuadũt, tertianã dignoscimus. Adhuc ue-  
 rò etiã ab ijs, quæ præcesserunt præsentẽ uitã: si cogitabũ-  
 dus, si peruigil, si inedijs, uel exercitationibus pluribus uti  
 sit assuetus. hæc enim uniuersa ad xanthocholici succi ge-  
 nerationẽ conferre naturã solẽt. qui succus propositam in  
 cõsideratione febrẽ accendit. Post hæc omnia addere etiã  
 oportet coniecturã quandã dignotionẽ, quæ ipsa quidẽ  
 ex seipsa nõ sufficit ad exquisitam ac perfectã cognitionẽ  
 tradendã, memoratis tamẽ signis cõfert. Aduertere enim  
 oportet, si eo tẽpore tertianariorũ morborũ epidemia ex-  
 titit. Sicuti enim in anni tẽporibus alij subinde fructus pro-  
 gignũtur: sic etiã est morborũ generatio. Si ergo gignãtur  
 tertianarij morbi, signũ etiã hoc ponere oportet, præsen-  
 tem quoq; hũc nobis morbũ, talẽ esse, quales sunt & com-  
 munes. Indicant enim cõmunem esse quandã causã, ipsã  
 aeris alterationem, uel aliud quid uniuersale, quod talem  
 uersionem mutationemq; effecerit, ex qua tertianam fieri  
 contigerit. Ex communibus igitur particularia etiã  
 cognoscimus.



46 Quòd si cùm omnia hæc, vel eorum maxima, ac longè præcipua adsint, vehemens etiã sitis ipsos detineat vomitûsque bilis, vel sudor superueniat, vel vtraq; iam tum apertè manifesta erit. Si verò etiam post hæc à febre quieuerit homo, hac inquam, quæ in suo etiam motu omnibus est nota: relinquatur autem ipsi in arteriarum motu propria febrium inæqualitas: firmiter vtique ita pronuntiare poteris, ac si tertio quoque die accedere ipsam vidisses.

*Sitis fit ob succi caliditatem ac siccitatem. Sudor autem ex his sequitur: quoniam cùm tenuis sit ipse succus, facile resoluitur, ac ad superficiem tendens, sudore ipsam irrigat, ac à particulari accessione laborantem liberat.*

47 Quartana verò (nam & huius notas tibi scribere oportet) euidentissimum quidem sui indicat argumentum in accessionum principio, quando adhuc rigent ægrotantes.

*Cùm tradiderit nobis tertianarum febrium dignotionem, uult consequenter & quartanarum dignotionem tradere. Iure autem post tertianas non de quotidianis, sed de quartanis differit. quandoquidem hæc cum tertianis multum cõmunicant, primũ quidem in rigore: postea, quoniã utraq; febris periculo uacat: uerius autem, quoniã quotidiana quidẽ febris ex pituita generatur, quæ frigida & humida naturã est: tertiana uerò ex bilioso succo, qui calidus & siccus est. horumq; succorum qualitates ex diametro inter se sunt contrariæ. melancholicus autem succus, quamuis frigiditate differat, siccitate tamen communicat. Et hæc quidem deliramenta nugamenta que sophistica sunt,*

sunt, logicae questionibus inherencia. Transeamus deinceps ad harum dignotionem, eamque itidem faciamus ab ijs, quae secundum naturam sunt, ab ijs quae praeter naturam: ab ijs omnibus & quae praecessere, & quae praesentia sunt. Esto igitur in his natura laborantis acribiliosior, aetas decrepescens, anni tempus autumnus. (in hoc enim melancholicus succus generatur, hanc ob causam. In aestate quidem, id quod tenuium partium est, semper digeritur: succedens autem autumnus, frigiditateque sua superficiem densans, claudit: cohibentur autem sane quae difficulter digeruntur & crassa sunt, quae melancholica potius sunt, quam ex aliorum succorum quopiam.) Sed & regio frigida esto & sicca, ac praesens aeris constitutio inaequalis. Probe enim de hoc ab Hippocrate definitum est, Quando eadem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet. Necessse enim est tunc ea quae sunt tenuium partium, a calore digeri: crassa autem retineri a frigore. haec autem putrescentia, quartanam inducunt febrem. Haec ergo sunt, quae secundum naturam sunt. Quae erenda autem & quae praeter naturam sunt, ut rigor. est enim in his non punctorius, sed ostocopodes, id est quo ossa lassitudine afficiuntur. quippe cum grauentur, ac ueluti comprimantur ossa ab huius succi gravitate: Quae erenda etiam sunt & quae praecessere. haec enim omnia tibi quartanae naturam exquisitè indicabunt.

Satis enim rari & tardi earum pulsus fiunt. In vigore autem vel adhuc incrementibus accessioni-<sup>48</sup>bus, celeres quidem necesse est & frequentes esse.

Rari quidem fiunt ob refrigerationem: tardi autem ob facultatis imbecillitatem, quae a succi crassitudine grauat.

49 Seruatur tamen & tunc propria eorū tarditas, & raritas, si id quod de celeritate ac frequentia accessioni est adiectū, ratione perpendas. Etenim si quartanæ febris vigorem cum tertianæ vigore compares, multò certè velocius ac frequentius arteriæ tibi videbuntur in tertiana pulsare. & ipsius vnus motionis inæqualitas in quartana febre, eius ideam indicat.

*Quod uult dicere, tale est. & si in accensu & uigore celeriores, & frequentiores fiunt pulsus in his febribus: non recedere tamen ipsos à propria earum raritate, ac tarditate: sed quatenus ad accessiones spectat, frequentes ac ueloces fieri: posseq; quempiam dicere, eos tales euasisse, comparatos pulsibus, qui in quartanarum principijs sunt: non tamen eorum frequentiam uel celeritatem frequentiæ & celeritati, quæ in tertianis existit, similem esse, sed multum superari.*

50 Nam communem eam omnium febrium in vna applicatione, arteriæ inæqualitatē, euidentissimam in hac inuenire licet.

*Quæsitū sanè dignum est, cur, cum febrilis inæqualitas in tertianis & in quartanis existat: in quartanis potissimū facile dignoscatur. Et dicimus, in tertianis ob dilationis totius celeritatē, id quod febriū proprium est, sensum latere. multa enim existente caliditate, media etiam dilationis esse celeriora: itaq; extrema haud multo celeriora esse medijs. hic uerò, quoniam non est tanta caliditas, haud necesse esse totā dilatationē celerem fieri. ideoq; cum tardior ea sit, ac in longiori tempore moueatur, facile dignosci posse febrilis inæqualitatis signum.*

*Mult*



¶ Multo enim velocius principium motionis & finem inuenies quàm medium. non tamen in tertianis ita habet. breuis enim in ipsis est velocitatis excessus, maximèque in vigore.

*Notandum hoc in loco est, quod etiã in libro ad Teu- phram de pulsibus diximus, febrium propriam inæqualitatem esse hanc, ut extremitates dilatationis celeriores sint, quàm media: ac magis exterior, quàm interior. uerum hanc rationem sæpenumero diximus: non, quemadmodum aliqui dicebãt, ut extremitas dūtaxat exterior dilatationis sit celerior. Atque in illis polliciti fuimus nos ostensuros Galenum dictis nostris consentire. Hoc ergo in loco idem dicit adeò euidenter, ut neminem lateat.*

¶ Quin & caliditatis notæ diuerso modo in his se habent. Nam calorem, & æstum, & veluti feruorem tertianarum febrü in quartanis haudquaquam inuenies. Hæc quidem maxima signa sunt. Reliqua verò, externa. neque enim hæc omittere oportet. Sed & natura ægrotantis consideranda est, si atribiliosior: & tēpus anni, si autumnus: & præsens constitutio, si inæqualis. sic & regionis natura, & morborum populariter vagantium.

*Sicuti tertiam febrem à qualitate, & quantitate caliditatis notabat, ita & quartanam. ait enim acrimoniam & ardorem, quod tertianis inerat, in his non inueniri. frigidus enim est succus ille, qui quartanam facit.*

¶ Et si lien magnus sit, & si inordinate febres præcesserint, & si ætas ultra vigorem sit, etsi cum sudore cesset. Bilis autem flauæ vomitus in his febribus



expectandus nō est, sicuti nec in quotidianis. Nam hoc tertianarum proprium est.

*Causam ob quam inordinatæ febres quartanam præcedant, iam diximus. Lien uerò magnus fit, quando melancholicus succus adeo exuperat, ut licet lien multam ipsius portionem trahat, ab eoq; incrementum suscipiat: adhuc tamen in corpore multam ipsius partem relinquat, ex qua putrescēte eiusmodi febris oritur. Et si cum sudore cesset: hoc signum non distinguit quartanas febres à tertianis: (ostendimus enim & in illis sudorem provenire.) sed quartanas à quotidianis. nam in quotidianis, uel nullo modo proveniunt sudores: uel si proveniunt, admodum pauci proveniunt. Nam cum crassus sit succus ac glutinosus, non aptus est, ut in sudores resoluatur. Xanthocholicus sanè succus cum tenuium sit partium, facile resoluitur. ac secundus post ipsum, melancholicus, quoniam siccitatem habet, quæ ad hoc ipsi confert. Porro multus quidem est in tertianis: minor in quartanis & in quotidianis.*

At ubi febricitare cessauerint, si febris adhuc signum permaneat, pulsusq; iis, qui secundum naturam sunt, rariores & tardiores fiant: quartana utique manifestè erit eiusmodi febris.

*Artificiofissimè scriptor nullum accessionis tempus prætermittit. Ab ipso enim principio significationes assumpsit, qualisnā in ipso rigor extiterit, quærens: Ab ascensu item, & à uigore, quippe cum dixerit pulsus in his temporibus frequentiores & celeriores esse: Quin & à declinatione quoque, cum eas cum sudore cessare asseruerit. Nunc uerò ab intervallo dignotionem inducit. nā si ipsius febrilis inæqualitas adsuerit, etiam cessata febre: fuerint utiq; hæc quartanæ febres. Sed hoc cōmune sanè est quartanis*

nis, tertianis, & quotidianis febris. Illud etiā maxime animaduertendū est \* pulsus in his, dum sanitate fruuntur, hoc sustinere, ob redundantis succi qualitatem.

Quotidianam autem febrem his maxime notis 55 deprehendes. humidiores enim esse oportet eius caliditatem cum quadam acrimonia.

Post tertianæ & quartanæ dignotionem consequens deinceps est quotidianam etiam in medium adducentes, exquisitè eam dignoscere. Ac promptum quidē sanè erat dicere in hac febre omnia ijs quæ in tertianis dicta fuere, contraria quærere oportere. Siquidē illæ ex calido & sicco succo eueniebāt: hæ uerò ex pituita, quæ frigida & humida existit. Nihil tamen absurdi est, clarioris doctrinæ gratia, particularia etiam addere, quæ methodo inherant, dico sanè ea quæ sunt secundum naturam, & quæ præter naturam, & quæ præcesserunt, & quæ præsentia sunt. Quæ certè in hoc sermone inuenire licet euidenter exposita. Oportet igitur in his caliditatis qualitatem humidiores esse cum quadā acrimonia: sed humorem quidem, ob succi naturam: acriorem uerò, ob adiunctam sibi putredinem.

Quæ non in prima statim iniectione occurrit, 56 sed immorante manu.

In his enim caliditas ob succi crassiciem in profundo occultatur: nec tactu percipitur qualis ipsa sit in prima manus applicatione. dum autem immoratur manus, calore conuersioneque corpus calefaciedo, atque unā meatus rarefaciendo, materiamque attenuando: reditione suam ipsius malitiam ostendit.

Fumosam enim quandam caliditatem vaporibus 57 et commixtam exire arbitraberis. cum potius ignis

ignis in humiditate multa suffocetur, quàm ipse materiam euincat.

Quemadmodum enim in humidis lignis uidemus: ut ipsa flamma iniecta primùm ipsam suffocant, ac uincere malūt, quā uinci: unde etiā sumus ex ipsis eleuatur, cum ignis ueluti suffocetur: eodē modo in quotidianis est uidere caliditatem talem existere: cum à multa humiditate innatus calor ueluti obruatur.

58 Sed & harum pulsus pulsibus quartanarum multo minores sunt, quàm quartanarum pulsus pulsibus tertianarum.

Quod uult dicere, tale est: quartanas minorem habere pulsus quàm tertianas: quotidianas uero, quàm quartanas. Subijciatur enim uerbi gratia duobus digitis quartanarum pulsus tertianarum pulsus minorem esse: inuenietur sanè pulsus quotidianarum pulsus quartanarum minor esse non duobus, sed tribus uel quatuor digitis: ita ut ex his concludatur quotidianarum pulsus minorem esse pulsus tertianarum quinq; profectò uel sex digitis. & hoc merito. Nam in quartanis licet frigidus sit succus & terrestris: non tamen multus, ut facultatem dissoluat. In quotidianis autem, quoniam frigidus est & humidus, & sanè etiam multus, quantitate & qualitate ipsam obruens, necessario minorem facit pulsus.

60 Rariores rursus quotidianarum pulsus pulsibus tertianarum tanto, quāto his pulsus quartanarum. in tarditate autem similiter in utrisque habent.

Obscure hunc locum interpretatur. nos autem ipsum declarabimus. Rarus enim est pulsus & in quotidianis & in quartanis, tertianarum pulsui collatus. sed multo certe magis est rarior pulsus quartanarum: minus uerò, pulsus quoti



quotidianarum. Duobus enim uerbi gratia digitis quotidiana pulsus pulsu tertianæ cum sit rarior, pulsus etiam quartanæ duobus rursus digitis pulsu quotidianarum est rarior. ut rursus concludatur, quartanarum pulsus secundum præsentem hypothesim tertianarum pulsu quatuor digitis rariorem esse. Satius autem fuerit causam addere. Quoniam enim quartanæ quotidianis maiorem habent pulsus: ob id natura, pro ingresso aëre magnitudine dilatationis contenta, rariorem fecit pulsus: in quotidianis uero contra. Quare, quantum ad magnitudinem, & frequentiam spectat, quartanæ quotidianis maiorem quidem habet pulsus sed rariorem, quotidianæ uero quartanis minorem quidem sed frequentiorē. Illud uero tanto quanto his, non de tertianarum, sed quotidianarum pulsibus dicit. *Tarditas autem in utrisque est communis.*

Minus autem siticulosa est febris hæc quam quartana tanto, quanto illa quam tertiana. 60

Tertiana quidem uehementem habet sitim, quandoquidem duas obtinet qualitates, quæ ad eiusmodi symptoma conferunt, caliditatem inquam & siccitatem. Secundo loco post ipsam siticulosa est quartana, quoniam etiam siccitas squalorem inferens, sitim solet inducere. Pituitosa autem febris nullum eiusmodi symptoma obtinet.

Et lingua, ac uniuersum corpus siccius est in tertianis: humidius autem in his febribus: & vomitus pituitosi, & quæcunque per aluum excernuntur, frigidiora, & humidiora, & crudiora, & aquosiora & pituitosiora sunt: ac in uniuersum, inconcoctis succis 61

succis plenum corpus in his febris comperies. Proindeq; & in ætatibus & naturis & anni tēporibus & temperaturis humidioribus accidunt. Iuuenem porro biliosum & ficcum nunquam vidi hac febre captum. Pueri autē præcipueq; qui natu sunt minores: & ex perfectis qui pituitosiores sunt, & habitudine corporis crassa, & vitam ducētes ociosam, in repletionibus ac ebrietatibus ac lauacris assiduis præcipueq; post cibum: quotidianis febris facile corripuntur. Sed & ex regionibus quæ humidiores sunt, ex anni tēporibus hyems, & ex aeris constitutionibus quæ humidiores sunt, maximè hanc febrem ferunt. Quòd si etiam tunc ipsa populariter vagetur, hoc quoque præter antedicta non parum tibi ad eius dignotionem conducet.

*In quotidianis lingua ac totum corpus est humidius ob duas causas, cū quia multa pituita ex antegressis omnibus, in ipsis abundat: tum quia hæc pituita à calore febris funditur. Præcipueq; qui natu sunt minores. In puerili ac senili ætate solet hæc febris accidere: in senili quidem, quoniam pituita in hac ætate colligitur ob assiduas concoctiones ex imbecilli facultate prouenientes: in puerili autē, licet calidior sit natura atq; humidior, ob uoracitatem tamen crudiora congeruntur excrementa, ex quibus putrescentibus, quotidiana febris oritur. Ac lauacris assiduis præcipueq; post cibū. Nam balnea, quæ post cibum fiunt, ea quidē excrementa quæ in superficie sunt, digerūt: id uerè quod in uentriculo ac iecore est, adhuc inconfectum existēs, trahunt, balnei calore distributionis celeritati conferēte. hincq; in ipsis succorū crudorum generatio prouenit. Ob hancq; ipsam sanè causam nos in*

*artis*

artis operibus, si aliquē humectare uolumus, huic uesper-  
tina potius lauacra imperamus.

Non tamē accessiones harum febrium sudori- 62  
bus finiuntur, sicuti in tertianis & quartanis.

In quotidianis, quoniam multa adest copia putredino  
se materiæ in profundo, eiuscemodiq; succus glutinosus  
est: sudores certe non fiunt, Morantia autem in profundo  
hæc excrementa, secundam rursus accessionem accedunt.  
Quare non est in ipsis inuenire purum interuallum, sicuti  
in tertianis & quartanis fieri cõspicitur, in quibus sudor  
multus proueniens, accessionem iam factam soluit.

Vnde nec in manifestam integritatem præter- 63  
quam pauca quædam, veniunt.

In quibus pituita est pauca, nec admodū crassa, estq;  
corporis habitudo rarior: in his contingit etiam sudores  
fieri, purumq; interuallum. Quod uerò nos in ipsis artis  
operibus uidimus, id dicamus, dictū sanè etiā ab antiquis,  
quanquam raro: nempe fieri sæpenumero quotidianam  
febrem ex pituita putrescente uel in uentriculo uel in in-  
testinis, eiuscemodiq; febrem cessari intra quartam uel  
quintam diem, causa febris per clysteres solos uacuata.

Vrinæ autem, quæ quidem procedētibus his fe- 64  
bribus fiunt, totius morbi tempora docent: quæ ve-  
rò in principiis febris, etiā speciem tibi indicabūt.

Superius dixerat maxima esse febrium signa tum pul-  
sus tum urinas. in significatione autem tertianarum &  
quartanarū & quotidianarum nullibi dignotionem, quæ  
ex urinis percipitur assumpsit, hoc ergo in loco eā ipsam  
ordinat, & ait, Vrinæ quidem indicare posse & uniuersa-  
le morbi tempus, & ipsam etiam febris speciem. Nam si  
ipsæ plures quidē at inconcoctæ omnino sint, principium  
morbi



morbi ostendūt: si autem obscurum habeant concoctionis signum, ascensum: si subsidentiam habeāt albam & lenem & æqualem, uigorem: si perfectionem concoctionis obtineant, declinationem. Sed hanc quidem procedēte tempore uidere licet. Quæ uerò primo statim die apparen, ostendunt nobis qualis sit proposita febris.

65 Nam quotidianis vel tenues sunt & albæ, vel crassæ & turbidæ & rubræ.

Albæ quidem & tenues apparent urinæ propter obstructions, quoniam quod crassius est, cum non possit per urinas euacuari, id duntaxat quod aquosum est, percolari permittit. suntq; eiuscemodi urinæ tenues quidem propter obstructionem: albæ uerò, ob serosi succi colorem. Semper autem facultas, dum obstructionibus incūbit, aliqua uasa obstructione liberat, crassorumq; humorū portiones aliæ unā cum urinis excernuntur. hincq; turbidæ apparent urinæ & crassæ: quin & rubræ etiam. nam crassum hoc quod fuit obstructum, omnino à putredine quæ in seipso erat, exustum fuit.

66 Tertianis uerò vel flauæ vel subruffæ.

In tertianis sanè urinæ sunt flauæ uel subruffæ, quippe quæ cum xanthocholici succi colore conueniant.

67 Quartanis uerò multiformes quidem sunt, sed inconcoctæ. Et hæ quidem sunt intermittentium febrium notæ.

In quartanis autē uarias subinde urinas inuenire licet

cet

cet, quoniam & quartana ipsa ex diuersis succis generationem obtinet, uel saculento sanguine, ut diximus, uel fluuibile superassata. Qualescunque autem fuerint urine omnino inconcoctae sunt. Repente enim hic succus haud quaquam sub alteratricem facultatem uenit: cum crassus, & neque alterabilis sit.

Continuas autem febres praecipue quidem ex eo nosces, quod nullum ipsis adsit ex iis signis, quae inesse oportere intermittentibus diximus.

Cum tradiderit intermittentium febrium dignotionem, uult consequenter continuarum etiam dignotionem tradere. Facillimum igitur est ipsas noscere, quod nullum ipsis adsit ex iis signis quae intermittentes ipsas febres comitantur. ea autem sunt, rigor, sudores, interuallum purum. Horum enim nullum est inuenire quod continuis febribus adueniat. Quin & per quaedam alia signa, harum febrium naturam percipere licet, praeter id, quod neque ipsarum magnitudo in conspicua relinquatur.

Et si etiam intra uiginti quatuor horas non cessauerit febris.

Sciendum est, tertianam nunquam ultra duodecim horas particulari paroxysmo extendere: quotidianam ultra sexdecim: quartanam ultra uiginti quatuor. haec autem in legitimis dicimus. Quandoquidem saepius inuenire licet notham tertianam, quae etiam uigesimam & quartam horam transcendat. uerum in legitimis sermo nobis sit. His enim cognitis nulla erit difficultas, eas etiam, quae tales non sunt, dignoscere. Si ergo uiginti quatuor horas transcendat, hominem detinendo, praeter id, quod nullum adsit ex iis quae intermittentibus adesse diximus: scito eiusmodi febrem non esse intermittentem, sed continuam.

Si

70 Si verò inæquale fecerit incrementū, hoc sanè præter alias notas, longius etiam tempus significat.

*Hoc signum non simpliciter continuarum est nota, sed quòd in longum tempus protrahetur morbus. Inæqualia enim harum febrium incrementa ex diuersis ac uarijs succis fieri solent, in quibus sanè natura longiori tempore ad perfectam concoctionem elaborationemq; indiget.*

71 Et sanè & id quod proprium est febrium signum in pulsibus, si euidentis habuerint. Si verò inordinatio quædam ac inæqualitas, vel arrhythmia ipsis adfit: & hoc certè signum erit tum magnitudinis, tum quòd non sunt ex interuenientibus.

*Hoc ait, non quòd intermittentes febrili inæqualitate priuatæ sint, sed quia in his maxime apparet, propterea quòd singulis diebus, accessionis causæ non diffentur: sed intus in profundo absconditæ perturbent, ac dissoluant facultatem. Enimvero & maior in his similiter (ait) fit inordinatio & inæqualitas & arrhythmia: quæ declarant, non tantum continuam esse febrè, sed insignem etiam magnitudinem habere.*

72 Si verò etiam dum tales permanferint, in tertia die maiorem accessionem indicarint, vel etiã deiectiones & vrinæ omnino inconcoctæ appareant, eiusmodi febres non possunt circa septimam iudicari.

*Hoc signum non amplius uniuersaliter omnium continuarum febrium est nota, sed causarū (hoc est febrium ardentium) duntaxat, eorumq; etiam diuturnorū. Si enim in his tertio quoq; die accedentibus, cōcoctionis signum nondum appareat, necesse est eiusmodi febrem in temporis longitudinem extendi.*

Si



Si verò quarta etiam dies tertix similis conspi- 73  
ciatur:

*Similem ait esse tertiam diem quartæ, non secundum  
accessionis magnitudinem. hoc enim in febribus ardentia-  
bus non fit, sed potius quinta tertix est similis. quare non  
secundum accessionem hoc dicit, sed secundum deiectionum  
& urinarum inconcoctionem.*

Ac febris veluti delitescens fit:

74

*Delitescens (Græcè στυχόμενος) hoc est circa profun-  
dum se habens, nec facile ueluti elucere circa superficiem  
potens. Hoc autem fit ex immixtione pituitæ, quæ natura  
frigidior est, difficulterq; accenditur, ac potius sensim suc-  
cenditur. Quare diuturna est, cum huius succi crassities  
pluribus ad concoctionem diebus indigeat.*

Nec facies nec vniuersa corporis habitudo con- 75  
cidat: eiuscemodi febris in longius tempus exten-  
di solet. Tales quidem sunt differentix febrü sym-  
ptomatis carentium.

*Et hæc nota est copix humorum, diurnæq; febris sta-  
gnum. Fit autem in his totum corpus non gracile pro fe-  
bris ratione: sed potius tumidum, propterea quod qui prius  
erant concreti humores, nunc dum à febris caliditate fun-  
duntur, atque in spiritus resoluuntur: maiorem occupant  
locum, totumq; corpus attollunt.*

Curatio autem singularum deinceps scribetur. 76  
primum quidè intermittentium. secundo verò ea-  
rum, quæ continuæ vocantur. Ex intermittentibus  
igitur acutissima simul & mitissima est tertiana.

E

Acutissima (seu breuissima, Græcè δξυτάρη) est eiusce-  
modi febris ob tenuitatem materiae ipsam facientis, quæ  
facillimè concoqui potest, ac tenuari, digeriq;. Quia au-  
tem acutissima est, ob id etiam est mitissima. neq; enim ui-  
res soluere præoccupat, quippe quæ citius recedat. Quin-  
etiam, ut sæpenumero etiam diximus, leuissima cum sit,  
ipsas non grauat.

77 Longissima autem, & tuta, quantum in seipsa, est  
quartana.

Longissima quidem, ob crassitiem melancholici succi,  
qui ad sui concoctionem longiori indiget tempore: tuta  
autem, ob interuallorum prolixitatem. uno enim die fa-  
tigata natura, reliquis duobus requiescit, suumq; peculia-  
rem tenorem recuperat. Pulchre autem dictioni adiecit,  
quantum in seipsa, contingit enim aliquando temporis  
spatio uires defatigari. Quinetiam per diuturnos mor-  
bos sæpenumero in uictus ratione delinquent laborantes,  
ut qui exquisitam observationem eorum, quæ sibi ipsis à  
medico fuerunt imperata, paruipendant. rationi que con-  
sentaneum est ex hoc delicto periculum haud exiguum sub-  
sequi, quale sanè nequaquam ex ipsius quartanae natura,  
sed ob aliquod eorum, quæ extrinsecus sibi sorte contige-  
rint, accidere diceretur.

78 Quotidiana verò & longa, nec tuta.

Iure longa est: quoniam pituita crassa est, difficultérq;  
digeritur. Tuta autem non est: tum quia accessionum con-  
tinuitas nullo die quietem dans uiribus, periculum mina-  
tur corruptionis, quotidie enim eiusmodi febris inua-  
dens, laxamentum quod satis sit, non præbet naturæ: tum  
quia os uentriculi in his affectum, continuas syncopas mi-  
natur. Si uerò præter memorata, celeriter non cessat, sed  
in temp

*in temporis prolixitatem extenditur: iure ex his omnibus periculum habet.*

Quare victus etiam rationem statim à principio 79 instituire debemus, ad vniuersum morbi tempus respicientes. nam in acutis ac celeriter vigentibus morbis etiam si quis admodum tenuem victum velit instituire, haud magnopere lædet. Quicumq; autem diuturniores sunt morbi, in his, nisi à principio vberio rem victum instituas, vel vnà cum morbo hominem perimes, vel non in tempore victum immutabis. Neq; enim accedete vigore vberio rem quam prius, victum instituire oportet: sed contra, summa illa totius victus tenuitas, quæ in affectu exhiberi debeat, in vigorem reseruanda est. Hoc igitur commune omnium febrium est. Præter hoc autem quæ febrium intermittentium propria sunt, considerare oportet,

*Inquit omnium febrium hoc esse commune, summam illam uictus tenuitatem in uigoris tempus reseruari semper oportere.*

Veluti statim in tertianis (neque enim deterius 80 fuerit hinc auspicari) distinguendum à principio est an exquisita, & (vt quispiam diceret) legitima, vel non exquisita, sed veluti nocha sit.

Diuisionem superius diximus, quemadmodum febriū alia ex spiritibus, alia ex humoribus, alia ex solidis fiant: & quæ ex succis conſtituuntur, alia sine symptomatibus, alia cum symptomatibus sint: & harum alia sint continue, alia deficientes. Nunc aliud quid addendo, perfectissimam ipsam facere uult. Sicuti enim nullum ens effugit: quin adulterari possit, secundum speciem dico: quamuis



enim non omnia particularia adulterentur, non potest tamen omnino species aliqua inueniri, quæ non adulteretur. Sic exempli causa duo contraria cum sint album & nigrum, utrunque adulteratur alterius admixtione. licetq; inuenire album, aliud quidem exquisitum, aliud autem non exquisitum, quod moderata quædam nigri portio ipsi admixta sit, quæ ob paucitatem sensum latet. sic sane etiam in omnibus alijs se habet. Sicuti igitur in his diximus: ita quoque in febribus fieri conspicitur. exquisitæ enim & legitime dicuntur febres, quæ mixtione carent. quacunque uero substantiam quandam alienam immixtam habet, hæ adulteratæ ac nothæ sunt. Animûmque diligenter ad hærum dignotionem attendere debemus: cum curationis diuersitatem haud exiguam esse non ignoremus.

81 Nam tertiana exquisita, quod longissimum est, in septem circuitibus iudicatur, præter id quod tatisima est. alteram uero, quæ non exquisita est, uidi quandoq; autumno quidem incepisse, uere autem cessauisse. postea, ut par erat, in tanto tempore, tum quia & ipse æger non admodum medicorum mandatis obtemperaret, sed in aliquo delinqueret: tum quia ab hyeme læderetur:

Hoc tradiderat Hippocrates, sicq; habet rei ueritas. Nam exquisitarum tertianarum extremus terminus est quarta & decima dies. ac intra hanc quidem contingit tertianam iudicari: extra uero ut exquisita ac legitima tertiana prouehatur, minime fieri potest. Quod autem septem circuituum concursus quatuordecim solos dies perficiat, cognoscere poteris, si ipsos circuitus cõputaueris. Nam primus circuitus est tertia dies: secundus, quinta: tertius, septima: quartus, nona: quintus, undecima: sextus, ter= tiadec

diadecima: & accedit quarta & decima, quæ reliquum est septimi circuitus.

Lienque maxime intumuit, & hypochondria flatu sunt distenta.

Hoc fieri contigit ob assiduas inconcoctiones, ex quibus cum quotidie pituita gigneretur, atque in spiritus crassos resolveretur, tum lien auctus est, tum totum etiam corpus tale euasit.

Ac iam subtumida quædam erat decoloratio tum circa faciem tum non minimè in cruribus.

Decoloratio quidem, propterea quod non amplius sanguineus effloresceret succus, cum eius color à pituitæ immixtione inficeretur ac tingeretur: Subtumida uerò, ob flatuosorum ac crassorum spirituum redundantiam, quæ sanè res etiam in toto corpore fiebant: præcipue uerò apparuere circa faciem & crura. uerùm circa faciem, quia pars illa expers carnis magis est: circa crura uerò, quidam sanè conati sunt dicere, quia hæc ipsa crura cognitionem cum hypochondrijs habeant, ut ostendit eorundem crurum in hydropicis superinfusionibus intumescencia. hoc igitur etiam in loco (aiunt) hypochondrijs flatu distentis & ipsa intumuisse. Nos uerò dicimus, crura ignobiliora cum sint, proculque ab innato calore positione habeant, suas ipsorum facultates nõ admodum ualentes obtinere: atque contingere quidem tunc ut totum corpus afficiatur, præcipue uerò hæc ipsa crura ob naturalem ipsorum imbecillitatem: ita ut quod nutrimenti ratione in ipsa defertur, inconcoctum relinquatur, atque in spiritum transmutatum ipsa attollat. Enim uerò nonnulli querunt, cur non etiam in manibus illud idem accidat, siquidem & ipsæ eiusdem generis cum cruribus sunt. cola enim (ide est

artus seu membra longa) sunt tum pedes, tum manus. Respondemus, manus, quod cordi sint uicina, ab ipso calefieri, ob idq; eiusmodi symptomata non sustinere.

- 84 Ita ut de adolescente timuerimus, maioribusque praesidiis indiguerimus. Sic talis tertiana nihil tertianae exquisitae simile habet. Quare ab initio eas distingui oportere dico: quantum enim natura differunt, tantum etiam rationi consentaneum est diatae modum permutari. Quomodo igitur optimè distinguantur? sat mihi est quae adolescenti contigerunt, scribere: quae exempla simul non exquisitarum tertianarum monumentaque tibi futura sunt.

*Metuimus inquit de hoc adolescente, qui tali febre febricitarat, ne tandem in hydropem ipsi affectus hic incideret: cum totius corporis temperamentum refrigeraretur, ac uires à febris longitudine deijcerentur.*

- 85 Erat anni tempus medium inter pleiadum occasum, & antegressum æquinoctium.

*Hoc in loco in medium affert narrationem adolescentis qui tertiana notha febricitauerat. Ut autem eius negotium perdiscatur, clariorque fiat doctrina, scire oportet duo esse æquinoctia: alterum, quod uere: alterum, quod autumno euenit. Hoc ergo in loco id intelligit, quod autumno euenit. Antegressum autem dixit, ad pleiadum (hoc est uergiliarum) occasum referens. Verum ne in longius sermonem protrahamus, si quænam sint pleiades, & qualis sit ipsarum occasus, qualisq; sit ortus, querere uolumus, ob idq; auditores confundamus: his tantum dictis, ad propositum reuertamur. hoc est febrem hæc circa autumni medium inceptisse, ita ut tunc ab anni tempore adu-  
raretur.*



raretur. oportuisset enim, si legitima fore debuisset, principium in æstate habuisse.

Incoeperat autem cū horrore febris adoleſcēti 86

Et hoc signum est notham esse ipsam tertianam febrē. quippe tertianis exquisitis semper inest rigor uehemens: quotidianis uerò refrigeratio. quorum utrorumque medium est horror.

Circa auroram ferè: ita ut nec caliditate similis 87 tertianæ videretur, nec pulsibus: sed nec bilis vomitus secutus est, nec sudor sufficiens. sed solum in secunda die hora ferè tertia pauci maiores aduenire. ex quibus trāspirabat quidem febris, sed adeo sensim, ut circa vesperam ferè vix à febre liber esse videretur. Mansit autem nimirum in pulsibus ipsi febris signum satis manifestū. In reliquis uerò etiā facile admodum se habuit circa vesperam & per totam noctem. Rursus uerò circa tertiæ diei auroram, secunda inuasio fit, primæ in omnibus præterquam in tempore similis.

Et hinc quoque adulteratur. quippe oportuisset, si ipsa legitima fuisset, media die inuadere, quando sol supra uerticem nostrum existēs, ea quæ hic sunt, calefacit, ac talem procreat succum, à quo legitima tertiana fieri solet. Erat autem \*manifesta eius caliditas, cū non tantum incendij ac redinisq; haberet, quantum legitimæ febres habent. Sed neq; pulsus huic erat maximus & celerrimus ac frequentissimus, sicuti in tertianis exquisitis est. sed omnia imminuta habebat, ob pituitæ admixtionem. quare nec bilis in hoc uomita est, quia neq; sola bilis abundabat, sed cum pituita. Sudores autem pauci aduenere: non sanè tam co-

*piofi, sicuti in sinceris tertianis adueniunt.*

- 88 Superueniente enim nocte paulum ante lucem modores aduenere : & febris cessauit circa quartæ diei auroram. Ac reliquo toto autumno hyeméque quo tempore ægrotauit, tum cætera omnia, tū tempus inuasionis & solutionis febris eodé modo permanferunt.

*Ex his sanè perspicuum est, primum paroxysmum fuisse triginta septem horarum: secundum autem, uiginti quatuor horarum. Oportuerat autem, si fuisset tertiana exquisita, ultra duodecim horas ( ut superius diximus ) non transcendere hunc paroxysmum. Cõtigit autem primum paroxysmum secundo longiorem fuisse, uel quia copiosior in hoc esset materia: uel quia delictum aliquod commisisset adolescens, aut in febre tanquam nondum eius febris natura perspecta, aut etiam ante febrem.*

- 89 Agebat autem adolescens circiter decimū octauum ætatis annum : albus aspectu, & pinguis, vitæ deditus ociosiori, ac sæpe numero antea crapulis lauariisque assiduis ac facietatibus usus. quare neque probè cibos concoquebat.

*Hoc in loco ostendit, quemadmodum à temperatura, & ab ætate, & ab alia uiuendi ratione huic adolescenti pituitosus redundabat succus. Dubitantq; nonnulli dicentes, cur non sanè hoc in loco iudicanda potius sit hæc febris, quotidiana notha, quàm tertiana notha. Nos certè dicimus, inuasionem paroxysmi tertio quoque die redeuntis hoc prohibere: quippe si singulis diebus inuassisset, iudicaremus utique quotidianam potius quàm tertianam dominium obtinuisse.*

*Simul*

Simul autem & ei quoque accessit pulsus durus 90  
in prima quidem & secunda die mediocriter: in ter-  
tia autem & quarta & reliquis sequentibus vsque ad  
septimam ad tantam peruenit duritiem, vt si quis so-  
li pulsui credidisset, multorum mensium morbum  
fore putauisset.

Hoc præcipuè eueniebat ex succi refrigeratione, quæ  
ob talem qualitatem, arteriæ corpus congelabat, durumq;  
efficiebat pulsum. Porro circa quidem primam & secun-  
dam diem cum nodum commotus esset eiuscemodi succus,  
parum sanè durus erat pulsus. Postea autem soluto ipso  
succo atque fuso à febris caliditate, durior euasit pulsus.  
Posset etiam dici ab hypochondriorum distensione duri-  
tiem ac tensionem habuisse.

Talisque perdurauit vsque ad vernum æquino- 91  
dium, in quo primū cœpit mollescere. Postea rur-  
sus quadragesima die perfectè liberatur à tertiana,  
paulatim tum pulsu emollito, tum paroxysmo mi-  
nori euadente, tum vrinis subsidentiam bonam ha-  
bentibus. etenim hæ quoq; in priori tempore ad-  
modum erant inconcoctæ.

Hoc uerò in loco deinceps incœpit mollescere, atq; ad  
morbi ascensum accedere: ac cum in ascensu quadraginta  
diebus mansisset, à febre liberatus fuit non critice: neque  
enim confestim, uel agnoscitice, id est, cum certamine so- 2. progn.  
lutus est morbus: sed paulatim συνεσιφθη, id est, concoctus c. 65.  
est, ut ex signis disci potest. Nam & pulsus permutati  
sunt, & paroxysmus moderatior euasit: ac concoctionis  
signa bona in urinis apparuerunt: subsidentiæque alba, le-  
nis, & æqualis.

Talis quidem tertianæ exquisitæ maxime con-



traria est: reliquas autem intermedias, quæ permul-  
tæ sunt, ex extremis definitis haud difficulter inue-  
nies. quæ enim in principio sermonis tertianarum  
februm inditia scripsi, hæc si omnia adsint, exquisi-  
tam tertianam faciunt. cui omnino paroxysmo tem-  
pus breue, horarum sanè quatuor vel quinque vel  
sex, vel, quod longissimum est, vndecim, aut duo-  
decim. Vrinque etiam talium februm in tertia die vel  
omnino in quarta aliquod concoctionis signum fe-  
runt. Sic ergo exquisitam & non exquisitam tertianam  
cognosces: simili etiam ratione quartanam &  
quotidianam. Cui enim insunt omnia, quæ superius  
descripsi quartanarum februm indicia, legitima il-  
la atque exquisita quartana est: cui verò non, notha  
illa est atque non exquisita. Et ex quotidianis, cui  
omnia quæ scripsimus adsunt, exquisita illa est: cui  
verò non, non exquisita.

*Maximè contrariū dicit legitimum & nothū. Quan-  
quam legitima quotidiana legitime tertianæ maximè cō-  
traria est. tanquàm hæc quidem à succo calido & sicco  
fiat: altera uerò à pituita frigida & humidam naturā ha-  
bente. Sed expositam nunc febrem ait ut notham maximè  
contrariam esse exquisitæ tertianæ. cū enim multæ aliæ  
nimirum nothæ existant, pro ratione maioris uel minoris  
permixtionis pituitæ: hæc sanè omnium maximè notha est.*

93 Nō igitur æquè diurnæ sunt quartana & quo-  
tidiana, quæ non sunt exquisitæ. sed sicuti tertiana  
exquisita, acuta est: sic quartana & quotidiana ex-  
quisitæ, diurnæ.

*Tertiana adulterata diurnior est: quartana uerò &  
quotidiana, non ita. sed quantum adulterantur, tantū etiā  
temporis*

temporis longitudo in his minuitur. & hoc merito. Nam cum tertiana à flava bile, quæ tenuium partium est, fiat: adulteratur perfectò, cum ea crassarum partium sit. In quartanis autem & quotidianis, quoniam ex sui natura crassa est materia: si adulterari debet, ex bilis certe, quæ tenuium est partium, permixtione, adulteratur. hincq; cum non tanta indigeat concoctione, in exiguum necessario tempus extenditur.

Hæc quidem in is qui per circuitum febricitant, 94 considerare oportet. In aliis verò febribus, urinas, & deiectiones, & totum corporis habitum inspicere oportet, caliditatem quoq; atq; arteriarum motionem, & quæcunq; alia præter hæc, Hippocrates longaq; experientia considerare iubent, nempe regiones, anni tempora, aeris constitutiones, ætates, temperaturas corporum, consuetudines, & causas antegressas, & quæ simul cum morbis inuadunt, & quæ in medio tempore apparent.

In febribus intermittentibus (ait) prædicta signa quo tempore morbus euentum exitumq; fortietur, præsagiunt: ueluti, si rigor in tertiana concussorius sit, breuis temporis est eiusmodi febris: si autem non concussorius, sed potius horridus, multi temporis: & in reliquis eodem modo. In continuis autem (has enim intelligit, alias febres) quoniam rigor non adest, nec sudores, nec interuallum, unde temporis longitudinem considerabimus? In his certè animaduertere oportet urinas & deiectiones ac concoctiones quæ circa hæc sunt, si ea celerius uel tardius appareant. nam si celerius appareant, acutior erit morbus: si autem tardius, diuturnior. considerare etiam oportet totum corporis habitum si rarius id ipsum est uel densius:

nam

nam densa durabiliores solēt facere febres, cū in seipsis earum causas cohibeant: rara uerò, contrarium. Oportet autem anim aduertere & ipsam caliditatem. nam si multa sit, & facile moueatur, acutus est morbus: si uerò ueluti sensim succendatur, difficulterq; moueatur, diuturnus est. His etiam adde & quæ à pulsibus sumuntur ac à reliquis eiusdē ordinis uniuersis. Tempore enim æstatis, inuadente febre, celer expectanda est liberatio: autumnī autem tempore uel hyemis, tarda. & reliquorum eodem modo.

95 Totum igitur, ut cuipiam uideatur, admonitum est: non tamen re uera ita se habet. nam quod maximum horum omnium est, dictu autem breuissimū, nondum scriptum est. Quid uerò hoc est? quantitas morbi & facultatis: res, quæ ad eam quidem explicandam vno indiget uerbo: ad usum uerò, maxima est. Neq; enim rectè prænosse possis, nisi singulorum prædictorum quantitatem diligenter pensites. Nam an morbus sit exitialis, an non: & quando maximè possit mori homo, uel ab affectu liberari: nisi omnium prædictorum quantitatem diligenter contemplatus, in duo capita redegeris, nimiram in ipsum morbum, & ægrotantis facultatem: rectè utique præscire non poteris. Nam si facultas adeo ualida sit, ut morbum superet, hominem saluari est necesse: si uerò secus sit, omnino morietur. Non igitur solum qualis ideà sit ipse morbus, sed & quantus sit, inspicias.

Quod uult dicere, tale est. Possunt quidem etiā ea quæ diximus, morbi exitum simul & tempus præenunciare: sed id quod horum omnium est summum caput, nondum diximus: res, quæ dici quidem facile possit, cognosci autem re-  
ctèq;



Atq; attingi, nisi diuturna longaq; experientia non possit, quantitatem dico. Oportet enim considerare nō solum speciem morbi: sed etiam quantitatem. ex hoc enim discernere poterimus, an salutaris sit morbus, an perniciosus. Nā cum parvus est morbus, aeger saluabitur: cum uerō magnus, morietur. Sed & horū utrūq; quādo eueniet, ex nullo alio discernere licet, quā ex exquisita cognitione quantitatis. Itaq; oportet uires semper morbo opponere, atq; utrum ex his fortius sit, perpendere. Si enim uires sint imbecillae, ex hoc nos cōiectantes praedicere debemus, quemadmodum ipsae ad uigorem usq; resistere nō poterunt: sed morbi fortitudine defatigatae deficient. Si uerō contrariū sit, nempe uires sint robustae, morbus autē imbecillus, per seuerare ac perdurare aduersus pugnam poterūt, ac postea superstites factae seipsas hominemq; saluare.

Non parua autem hoc indiget peritia tum propter alia, tum quia nec scribi nec omnino doceri potest singulorum quantitas. 96

Speculatio inquit quae circa quantitatem uersatur, multa atq; assidua indiget meditatione in operum artis peritia. tanquam per hanc solum ea recte attingi possit, sermoneq; explicari minime possit: quinetiam, quia utilis est ad ea quae diximus: (hoc enim est, quod ait, tum propter alia) uel quia ex sui ipsius natura, difficilis ac molesta est. Quare tanquam adhortatur hoc in loco Galenus, in quantitate percipienda assidue uersandum esse, quod & utilis ea sit, & sermone recte attingi non possit. Item enim in huius libri principio diximus, Quantitatem propriam esse uniuscuiusq;: cum autem quae propria sunt, scribere non possimus, (quippe quae infinita sint) necessario ad communia nos conuerti, quamuis usu sint secunda.

Et si

97 Et si id quod nostrū est, aliquid fortè est, ex nulla alia re ad tantū perfectionis venit, quàm ex adhibita præcipuè exercitatione circa quantitatis coniecturam. Hoc quidem in ipsis operibus & disci & doceri potest. Quæ verò in qualitate determinatione habet, hæc nos diligenter simul ac manifestè, quàm breuibus fieri poterit, scribemus.

*Hic locus, an ab antiquis explanatoribus simili modo exponatur, nescio. Dimissis autem eorum nugis, quod uerum est, dicamus. quod enim dicere uult, tale est. Si fortè excellentes, conspicuiq; in arte medica euasimus, ex nulla alia re hoc nobis euenit, quàm quia in percipienda quantitate diligentes fuimus. Et quia dixit, forte (Græcè ἀρᾶ) morum modestia usus est, nolens bonæ famæ & laudis, quæ apud multos habebat, se ipsum sibi ipsi esse testem.*

98 Exquisite tam ergo tertianam, ut in qua bilis commota domineatur, humectare & refrigerare oportet, quoad fieri maximè potest.

*Post febrium dignotionem tum intermittentiū & continuarum tum legitimarum & notharum, consequens deinceps est curationem etiam tradere. Præferatur autem in hoc ordine tertiana, quemadmodum etiam in dignotione præposita fuerat. Verum curationem facere oportet ad duos quosdam scopos respiciendo. Cum enim in febribus quæ ex succorum putredine proueniunt, & materia & qualitas redūdet: materiam quidem uacuare, qualitatem uerò alterare oportet: quemadmodum si quid deficeret, addendum esset. Enimuerò in tertianis quoniam qualitas præcipuè infestat: contra hanc ipsam instamus, refrigerantes, scilicet & humectantes. minus autem uacuamus. In quotidianis autem magis contra materiam quàm*

*contra*

contra qualitatem pugnamus. quandoquidem qualitas nõ admodum dominatur, propterea quòd frigidus & humidus sit earum succus.

Nam contraria contrariorum sunt remedia: quæ 99 quidem quod superat coerceant: quod verò deficit, suppleant. Flauæ autem bilis succus omnium qui sunt in corpore succorum calidissimus ac siccissimus est.

Hæc sententia est Hippocratis, omni que alia remedia rem habet ueritatem. Ne tamen quispiam sophista uos seducat, inquit, Contraria contrarijs non curari, sed potius tolli. nam si calidum à frigido & frigidum à calido corrumpitur, quomodo, quæ corrumpuntur, curari dicentur? Ob hos sanè illud addi oportet, Contraria contrariorum dici remedia, tanquam ad subiectum sibi ipsis corpus relata. nam corpus est id, quod curatur. Hoc pacto abutentes sæpius dicimus morbum contrarium esse sanitati. & ijs qui diligenter considerant, morbo morbus esset sanè contrarius. calido enim frigidus diceretur esse contrarius. Sed profectò hæc dicimus ad subiectum respicientes corpus: quoniam contingit ipsum à sanitate quidè conseruari: à morbo autem corrumpi. Quòd autem corruptio conseruationi sit contraria, nemo (arbitror) qui sanæ mentis sit, dubitat.

Adhortari igitur oportet, ut qui ad ventriculum 100 confluit, vacuetur per vomitum: qui verò deorsum subit, per inferiorem excretionè. hoc quidem etiã sponte fit in exquisitis tertianis. Urinis etiam ac sudoribus iter præbere oportet. bonæ enim sunt & quæ per\* has vias fiunt bilis purgationes.

\* Ita le-

Quod



gunt an- Quod uult dicere, tale est: oportet uacuationem fieri  
 tiqui codi uel sensibilem uel insensibilem. Est autem sensibilis quidē  
 ces . im- uacuatio, quæ per aluum fit, uel uomitum, uel urinas, uel  
 presfi ta- uacuatio, quæ per aluum fit, uel uomitum, uel urinas, uel  
 men ha- sanguinis eruptiones: insensibilis autem quæ per oculos  
 bent infe meatus fit. Definiet autem tibi talium quodque ipsa succi  
 riores. inclinatio, quæ interdum quidem uergit ad uentriculi os,  
 quo tempore oportet ipsum per uomitum euacuare: ali-  
 quando autem potius decliuis ad intestina repit: nonnun-  
 quam uerò facilius per urinas uacuatur: sepe numero au-  
 tem promptitudinem habet, ut per superficiē ac per meatus  
 quæ in ipsa sunt, digeratur.

101 Verum ventrem quidem mollibus clysteriis uacuare oportet.

In tertianis, quoniam multa est siccitas, oportet clysteria assumere, quæ humectare ac emollire potius ualeant, non siccare. Nam cum ex eiusmodi clysteribus intendatur intemperies, magis corpori officit.

102 Urinas autem prouocare, apium & anethum in potionibus madeficientes.

Quemadmodum purgantium medicamentorum, alia ad alium succum attrahendum proprietatem habent: ueluti uerbi gratia scamoneum flauam bilem, epithymus melancholicum succum, pituitam colocythis: Sic & medicamentorum unumquodque ad aliquam corporis particulam naturalem habet uel sympathiam uel antipathiam. Unde namque cantharides gulum, & uentriculi os, & uentriculum, uenasque mesaraicas, & iecur, & renes, ac urinarios meatus prætergressæ, uesicam solam ulcerant: unde solum pulmonem lepus marinus exulcerat: Sicuti igitur hæc naturalem

ralem anipatesan habet: sic & alia naturaliter apta sunt, nonnulla per urinas, nonnulla per aliam uiam excrementa uacuare. Vocanturq; quæ per urinas materiam uacuat, diuretica, id est urinalia. opusq; est in tertianis, ipsis uti: quippe cum per hæc ipsa, febrium affectionem paulatim compilemus.

Et si concoctionis signa tibi appareant, audacter iam absinthium dare potes. quod alioqui maximum remedium est mordicationum stomachi ob bilem euenientium.

Absinthium duas habet facultates, adstrictoriam & purgatoriam. Si ergo dum adhuc succus est inconcoctus, ipsum exhibeamus, adstrictione magis condensat materias, ita ut pugna quedam fiat: purgatoria quidem facultate, excernere uolente succu: adstrictoria uero, retinete. hincq; intus affligitur natura, ab utroq; horum uexata. Si uero post concoctionem exhibuerimus absinthium, tunc purgatorie actioni adstrictoria non resistit: quin potius confert: stringendo enim exprimit: sicuti qui manibus spongiam stringunt, humiditates in ipsa contentas foras exire faciunt.

Et præcipuè si ex ipsius coma quantum satis sit madefeceris.

Sciendum est quemadmodum quarundam herbarum inuenire licet, radices esse efficaciores: quarundam uero, ramos: aliarum uero, semina: sicuti aliarum, folia. In absinthio igitur coma est efficacior: quippe quæ tenuiorum sit partium, quam ipsæ radices. Oportet autem ipsam exhibere prius in aqua madefacientes & decoquentes, uel etiam substantiam ipsam tundentes, atque calidæ aquæ uel melicrato immiscentes, uel prout usus in præsens expo-

stulauerit.

105 Lauacrum autem calida ex aqua potabili partim euacuant, bilem ducendo; partim qualitate sua magnopere iuuant.

106 Vnumquodque ex memoratis praesidijs quanquam materiam euacuabat, eamque ex accidenti refrigerabat rei califacientis absentia, aliam tamen introducebat calidam qualitatem. Lauacrum autem & materiam euacuat, & qualitatem non auget calidam siccamque; sed contra, ipsam extinguit tum refrigerando, tum utilem meatibus humiditatem inferendo. Iam uero prius diximus in superioribus quaecunque de lauacri facultate & ipsius partibus dicere oportuerat.

106 Humectant enim ac refrigerant facultate omnia eiusmodi lauacra. Marina autem, & salsa & nitrosa & sulphurosa plus quidem bilis educunt, multo tamen minus quam potabilia profunt. Satius autem est dicere neque ea prodesse: cum plus qualitibus laedant, quam euacuationibus iuuent. Equidem noui quendam corrupta ratione hisce lauacris uti per suum: deinde corporis habitu usque adeo exciccatum, ut tabefactus interierit. Intendebatur autem reliqua etiam victus ratio uniuersa ad bilis vacationem. At contrarias qualitates qualitati praeter naturam excedenti semper opponere oportet. \* Ac magna ex parte hoc melius est, quam quomodolibet euacuare. Quod sane nec ille nouerat, nec aliis doctibus didicerat. Itaque in lauacris hic tibi sit scopus, maeuolenti humectandi que corporis: ob id que nec nitri nec salis nec sinapis quicquam inspergendum est: qualia factitare plurimos videre licet, qui egrotos affligunt.

Probe

\* Ita legunt antiqui. Ita legunt antiqui. Ita legunt antiqui. Ita legunt antiqui. Ita legunt antiqui.



Probè addidit, facultate: quandoquidem marina & nitrosa & sulfuginosa lauacra prima quidem inspectione atque imagine, humida sunt: non tamen humectant: quin contrà exiccant. Potabilium autem aquarum usus & imaginem & facultatem humectantem habet. Enimvero facultas ipsa ex actione inquirenda est.

Sed quammaximè calidum oleum perfundentes, 107  
in aquam ducere, & madefacere.

Hoc enim potest tum meatus rarefacere, ob idq; materiam digerere: tum profectò solidas etiam particulas humectare.

Et si in ea natare velint, iis quantum possunt concedendum est. 108

Probè addidit, si uelint. oportet enim aliquid egrotatis uoluptati gratificari. Hunc autem in natatorio latiore assumit, ut sanè natura latiore locum pro natatione habens, ad uoluptatem se extendat: ac magis aque qualitate fruatur, refrigerando se ac humectando.

Qui verò balneis delectantur, nec si bis die laues, peccabis. Sed in tempore maximè hoc tibi memoria sit.

Hippocrates à consuetudinibus indicationem sumit. Itaque primum quidem lauacrum ob affectum assumatur: \* secundum autem, ob indicatione à consuetudine sumptam.

Et si etiam concoctionis morbi signa appareant, 109  
sepius etiam laues, non peccaueris.

Idoneum ipsis ex hoc uidetur lauacrum in tertiana, etiam ante concoctionem assumptum. Inquisitioneque di-

gnum est, quomodo non intendat augeatque obstructio-  
 nis: cum in balneis soleant succi fundi, & ex obstructio-  
 nis postea febres intendi. Dicimus ergo quoniam in ter-  
 tianis febribus qualitas magis, quam materia nocet: ob id  
 eum etiam ante concoctionem lauacrum assumpsisse. Quod  
 autem ante concoctionem lauacrum inbeat, ipse significauit, infe-  
 rens, post concoctionem si plus quam bis eos laueris, te non pec-  
 caturum. Tunc enim materiae concoctae atque attenuatae,  
 facilius per sudores excernuntur, meatibus iam rarefactis.

III. A vino autem antequam concoquatur morbus,  
 prorsus arcendi sunt, at ubi concoqui coeperit, te-  
 nue & aquosum & paucum ab initio est dandum: cum  
 autem propere est ut soluatur, copiosius.

Merito post lauacrum, usum uini meminit: quonia tunc  
 cum a balnei caliditate sitis ipsis adueniat, potum dare  
 debemus, non aquam (haec enim in hypochondrijs moran-  
 do alioqui nocet) sed uinum. Quandoquidem uinum, cum  
 celerius distribuatur, potest tum excretionem uniuersas  
 prouocare, tum facultates roborare, tum succos in bonam  
 temperaturam transferre, dum ipsum in sanguinem con-  
 uertitur, atque inutiles materias exornat ac transmutat.  
 Sed id ipsum dandum non est ante concoctionis tempus:  
 tunc enim materias fundendo, obstructiones auget: sed po-  
 tius post concoctiones, ut memoratas res efficiat. Proui-  
 dendum autem est ut tenue sit, facileque distribuatur, nul-  
 lamque habeat aquae admixtionem: non antiquum, nec na-  
 turam calidum: coloreque sit album, potius quam nigrum.

III. Cibaria autem quaecunque humectant ac refri-  
 gerant, omnia sunt utilia tertianis exquisitis.

Cibariorum, inquit qualitas tertianae febris qualitati  
 in con

in contrarietate respondeat, frigida & humida facultatis existens. Qualitas sane hoc modo nobis dicta est.

Quantitas autem in ipsis sit tanta, quantam probe concoquere possint, ex oleribus quidem atriplex blitum, lapatum, malua, lactuca, & cucurbita. 113

Vnumquodque concoqui potest, quando nec grauatur ab eo uenter, nec (ἀσθενεία, hoc est, ut ita dicam) inconcoquit. accedet enim rursus ut excrementa ab inconcoctionibus per circuitum quendam gignantur, ac circulo febris augeatur.

Ex aliis autem & ptissanae cremor. 114

Ptissana in his utilissimum est remedium. quippe quae potest tum febrem refrigerare atque humectare, tum materiam sacra liberare. absterforiam enim quandam obtinet facultatem: quin & facultates nutrit.

Et ex chondro sorbitiones. 115

Chondrum uocabant antiqui ipsam alicam. Oportet autem ipsum assumere, in quibus caliditas multa in uentriculo adsit, uelimusque ut ipse in uentriculo permanens, aduersus malam temperaturam pugnet. ac praesertim si os uentriculi facile bile scit. Potest enim cum crassus ac tenax sit, caliditatem, quae in ipso est, extinguere. Obseruandum tamen est, ne in his alui sit suppressio. quippe cum talis sorbitio magis ipsam suppressere soleat.

Ac ex piscibus saxatiles. 116

Ex piscibus marinis alij littorales, alij saxatiles, alij pelagij sunt. Inter hos praestantissimi sunt saxatiles: quandoquidem undae saxi scopulisue illisa, assidue ipsos mouere ac excrementitiam ipsorum humiditatem absumere fa-



ciunt. Littorales autem pessimi: quandoquidem nutriti in  
 to feculento nutriuntur: præcipueq; si urbs propè littora  
 sita sit, cuius excrementa, ac canales ipsa suscipiat. Pelagij  
 uerò mediam habent naturam, nec ita prauam ut littora-  
 les, nec ita excrementis uacantē, ut saxatiles. illorum enim  
 feculentiam non habent: horum uerò exercitationem, quæ  
 motu fit, declinarunt.

117 Et ex uolatilibus, quæ molli sunt carne.

Domesticas aues (quas græci κάρων, δ'ίους, uocant) in-  
 telligit, & phasianos. oportet autem hæc uolatilia, parua  
 assumere. quippe cum humidior adhuc, facilisq; ad con-  
 coquendum sit eorum caro.

118 Et ex iis quæ talia non sunt, alæ. Et sanè gallorum  
 quoque testes dandi.

Et ex iis quæ talia non sunt, id est quæ nõ sint molli car-  
 ne prædita, sed adulta. cum enim sæpius nobis desint par-  
 ua, adultorum alas exhibemus. quandoquidem hæc ob ex-  
 ercitationem, quæ ex uolatu fit, excrementis uacant. Illud  
 autem sciri oportet, quod & experientia à nobis inuen-  
 tum est, si uentriculus multam habeat caliditatem, potius  
 alas à nobis iniungi: quippe quæ neruosiore sint, difficul-  
 terq; corrumpantur. si uerò immata caliditas pauca sit,  
 tunc potius uentres à nobis exhiberi: utpotè qui carnosio-  
 res sint, ac utilem quandam qualiditatem habeant. Dandi  
 autem sunt gallorum etiam testes: cum boni succi sint, ac  
 nutriant, minimumq; excrementitij habeant.

119 Et suum pedes, & cerebra. minorum uerò si etiã  
 ex carnibus liquefactis dederis, nihil lædes.

Pedes accipit suum, quoniam exercitati ingressu, ex-  
 crementis uacant. Sed & cerebra offerre oportet. obser-  
 uantes

*antes ne cuius stomachus asodes, id est fastidiosus sit. Solet enim eiusmodi edulium stomachum mouere.*

Sed & vt oua sorbeant concedendum est, ac præcipuè vitellos, facilius ii quàm albumen concoquuntur. & ex pomis (quæ *δρόρα*, græcè dicuntur) concedendum est vt illa degustent, quæ non omnino ad concoquendum difficilia sunt. Abstinentium autem est à melle, & sinapi, & salsamento, & acris omnibus, & à vinis admodum antiquis, & quæcunque naturà, calida sunt. Hæc ergo victus ratio multorū, ac coniecturam tibi sit exposita. Qui verò non deliciantur, iis victus ratio est instituenda (sicuti & mihi aliquando in exquisita tertiana institutam fuisse nosti ex Hippocratis sententia) ex piissanæ cremore vsq; ad crisim. Hæc quidē in exquisitis tertianis.

*Oua quanto minus elixantur, tanto ad concoquendum faciliora redduntur: magis verò elixata, cum in elixatione tenuis illa pars quæ in ipsis est, absumatur, crassescunt, & ad concoquendum difficiliora redduntur. Hoc enim quod dicit, oua ad sorbendum sunt concedenda. neque enim simpliciter omnia sorberi possunt: sed ea duntaxat quæ liquidiora sunt, minusq; elixata. Horum autem ouorum albumen est frigidius ac ad concoquendum difficilius. vitellus autem facilius ad concoquendum est. unde pro affectionis modo utrisq; utiliter utimur.*

In iis verò quæ non exquisitæ sunt, prouidendum maximè est quantum fieri potest, ne morbus augeatur, neque deiiciatur ægrotantis facultas, quæ longiori tēpore affligi debet. Difficile porrò est utrūq;

obtinere. quandoquidē inedia quantum ad morbi concoctionem conferunt, tātum vel etiam amplius facultatem offendunt: Nutrimenta autem quantum ad roborationem ægrotantis conducunt, tantū concoctiones impediunt. Sed hoc in loco tibi noscendum est ad quantam magnitudinem veniat morbus, ad quantam etiam ipsius ægrotantis facultas, vt ad ea quæ maiori indigent auxilio inspiciens, inediis quidē in fortiori facultate, & morbo ad cōcoquendum difficili audacius vtaris, nutrimentis autē pluribus in imbecilliori facultate & morbo nō admōdum ad concoquendum difficili. Hæc sanè in aliis etiam omnibus morbis considerare oportet.

*Post quàm legitimas tertianas curauit, uult consequenter notharum etiam curationem nobis tradere, & oportet ait in his artificiosè mentem adhibere. quandoquidem legitimis sunt diuturniores & dubiæque in his est curatio. Siue enim nutriamus ob facultatem, morbum augemus: siue non nutriamus ob morbum, facultatē deijcimus. Oportet igitur in his facultatem morbo comparantes, considerare utrum ipsorum maius sit: & ad id quod urget, instare: altero omnino non neglecto.*

¶ In tertianis verò non exquisitis neq; statim inter initia lauare bonum est. sed cū iam concoctionis signa apparent.

*Quoniam enim in his est superflua pituita, timor est ne si per balnea quicquid in ipsa tenuiorum erat partium, euacuauerimus: reliquum ad digerendum difficile reddamus. Præterea etiam contingit fusione facta in lauacris, utilia inutilibus admisceri. atque ita succos, qui in uniuerso sunt*



so sunt corpore, corrumpi. sed quādo iam uidentur, appa-  
rent quæ concoctionis signa id est, in uigore morbi: tunc  
attenuatus succus prompte euacuationi obtemperabit.

Neque quotidie nutrire, sed alternis diebus fa-  
tis est. <sup>123</sup>

Hoc dicit, quoniam pituita superflua in ipsis residens,  
potest in intermedijs diebus constitui, ac ad melius redu-  
ci: inediaq; iniuncta, in sanguinem mutari: sicq; nutrimen-  
ti rationem membris seruire. Considerare autē oportet  
nunquid ad hoc facultas resistat, laboransque assuetus sit,  
dum sanus erat, assidue comedere. In his enim nō alternis  
diebus, sed quotidie nutrire eum debemus. Tenuiorum ta-  
men partium sit alimentum: ut ex partium tenuitate, ipsius  
quantitatem temperemus ac corrigamus.

Quies uerō, & fots partium, quæ in hypochon-  
drio iunt, iis conferunt. <sup>124</sup>

Solet enim ipsa motio naturam à succi coctione ad exte-  
riora transferre. Oportet ergo in his quietem iniungere.  
Sed & fotum iubet qui per cataplasmata fit, quæ tum pi-  
tuitosum succum in uentriculo contentum concoquere:  
tum distentionem à pituita in uentriculo subortam laxa-  
re possunt.

Et sorbitiones ad concoquendum faciles.

Si enim aliquam ex ijs, quæ ad concoquendū difficiles <sup>125</sup>  
sunt obtulerimus, periculum est, primum quidē ne in hac  
concoquenda uires laborent. postea, ne ex inconcoctione,  
quæ succos in pituitam transmutat, proposito crescente  
succo, febris dturnior euadat.

Clysteres etiam inferioris ventris non admo-  
dum molles sint. <sup>126</sup>

Oportet enim in his, acrioribus uti clysteribus, ut suc-

*cum, qui glutinosus ac viscosus est, eruas atq; euacues.*

- 127 Quòd si sanguinis detractione indigeant, nec hoc omittendum est. sed statim à principio, ex iis quæ scis distinctione adhibita, tantum sanguinis effundendum, quantum presentibus est conueniēs. Tota verò diætæ constitutio sit, non quæ refrigeret & humectet, quemadmodum in exquisitis est tertianis.

*Indiget enim laborans sanguinis missione si plenitudo adsit, & ipse ætate sit tutus, præcipueq; si febris uerno tempore ipsi aduenerit. poterit enim natura reliquum facilius superare.*

- 128 Sed aliquid etiam secantioris calidiorisq; modi assumat.

*Vt calfactoria quidem facultate, succi frigiditatem temperemus ac corrigamus: incisoria uerò, crassitiam & glutinositatem ipsius attenuemus, ac, ut facile excerni possit, faciamus.*

- 129 Maximè igitur ipsis cõpeteret ptissanæ cremor pipere iniecto. Quinetiam hyssopum quandoque, vel origanum vel spicam nardi in melicratum iniecta simulq; cocta, potui dato.

*Ptissana quatenus abstergit, talibus febribus cõducit. Sed quoniam refrigerando atq; humectando, materiam ipsarum id est pituitam auget, cum ipsius nimirum temperamento consentiens: ob id eiusmodi qualitates quæ in ipsa sunt, imminuimus per piperis admixtionem: & si quid aliud quispiam excogitare potest, quod calefacere unà & incidere possit.*

- 130 Et alia quæcunque vrinas mouent: præterquàm ea quæ summè tum calefaciant tum exiccent.

*Que*

Quæ enim magnopere calefaciunt & exiccant, febrem sua ipsorum acrimonia adaugent. Alioqui etiam par est, ut hæc pituitæ humidum absumentia, reliquum terrestræ ac crassum naturæ existens, in corpore relinquunt.

Maximè verò absinthium dandum est frequen-<sup>131</sup>tissimè post septimam diem. & sanè oxymeli multos iuuat epotum.

Absinthium adhoratur in his dari: quoniã naturæ solet roborare stomachum, qui sanè in propositis febribus imbecillus est. Nã si talis non esset, unde nã ipsi colligere-<sup>132</sup>tur tâta pituitæ copia, ut etiã tertianã ipsam, nothã efficiat? Præbet autem ipsum post septimam diẽ ob memoratã a nobis superius causas, ubi ostendimus quantopere lædat, si ante succi concoctionem exhibeatur.

Et aliquid moderatorum subductoriorum qui-<sup>132</sup>bus & me assiduè uti noſti.

ὕπλᾱτα (id est subductoria seu depulsoria) uocât antiqui, quæ moderatas facere possunt euacuationes per aluum, ut est polypodium, & alypiũ, & mercurialis herba. Sed hæc simplicia sunt. Sunt uerò & quædam etiam composita, ut nonnullæ confectiones quibus iniiciuntur scammonium, & colocynthis, & agaricus, & elaterium.

Vomitus autè post cibos adeo sanè utilis est illis,<sup>133</sup> qui in hac febre perdurant, vt multo sciam prorsus fuisse liberatos statim post vomitus.

Ab



Ab antiquis sanè fuerunt excogitati uomitus. Ac qui ante cibos fiunt, uiolentiores sunt, uellicationemque haud exiguam faciunt: qui uerò post cibos fiunt, cum efficaciam non habeant, non multam uiolentiam inducunt. Oportet igitur in quotidianis eos assumere qui post cibos fiunt. Porro faciemus, ut laborantes attenuantibus cibus utantur, exhibitoq; melicrato uel oxymelite, ut euomant iube bimus. Sursum enim prius educuntur oblatis cibus: simul autem cum ipsis aliquis etiã educitur succus ab ore tenuatus. ex hoc autem auxilio à febre liberantur: euacuata nimirum pituita, ex qua febrem adulterari, atque in longum tempus protrahi, contigerat.

134 Deinceps de quartanis dicemus: quas & ipsas per initia moderatè leniterq; tractare oportet, nullum forte medicamentum exhibentes nec euacuationem.

Post tertianam tam notham quam exquisitam curationem, consequens deinceps est ad quartanam accedere, quae iam ex praedictis cognita est, ac sola indiget curatione. Oportet igitur in his, in principio, quandoquidè tunc inconcoctus existens succus, ferinus est, contra ipsum non pugnat, quippe qui magis agrestis euadendo, laboranti imponit: sed mitigatorio modo utendum est. Opus igitur est in his non exhibere medicamenta melancholicum succum euacuantia. nondum enim concoctus fuit, crassus inconcoctusq; existens succus: timorq; est ne purgatorium illud medicamentum, cum familiarem propriumq; sibi succum euacuare non potuerit, ad utilem se conuertat: dupliciterq; corpus ledatur, cum ex utilis succi absentia, tum ex noxij praesentia. Sed quoniam frigidus siccusq; est eiusmodi succus, calefacientibus & humectantibus in hoc uti debemus. haec enim caliditate quidem attenuantia, humiditate uerò

uerò fundentia, lubricumq; ipsum reddentia, celerè ipsius faciunt euacuationem.

Nisi fortè vehementer admodum abundare sanguis videatur. & si secta vena fluens sanguis fuerit niger ac crassus (maximè verò in lienosis talis cõperitur) audacter euacuãdus est: si flauus & tenuis apparuerit, statim supprimendus. Secare autem debemus venam vel interiorem, vel mediam cubiti sinistri.

Quoniam uetuit per initia uacuationem fieri: nunc præfinit, dicens, quandoq; etiã dum morbus adhuc inconcoctus est, uenã secari oportere, quãdo sanguis ipse multus extiterit. Animaduertendum tamen diligenter est. Si enim sanguis qui uacuatur, fuerit niger: audacter intrepideq; copiosius est uacuãdus: si uerò flauior, suppressus est: metus enim esset, ne eo uacuato, uires dissoluerentur. Secãda autem est uena, quæ hæc id est secundum processionem lienis est, hoc est ea, quæ in sinistra manu è directo huius particulæ posita est: non humeralis uena: hæc enim à capite magis euacuat. ideoq; in lippientibus uel alioqui caput aut aliquam superiore partem dolentibus, illam secamus: Inijs uerò quibus partes infernæ sunt affectæ, non hanc, sed axillare incidimus, per quã inferiora euacuari possunt. Dum autem hanc non inuenimus, ad mediam nos conuertimus, quæ ex congressu humeralis atq; axillaris fit. satq; tunc habebimus à toto corpore tum superiorum tum inferiorum euacuationem facere.

Et uictum deinceps flatus expertem ac probum instituire.

Solent enim flatuosa excrementa lienis apposita, ipsum attollere, ac inconcoctionis causa fieri. quæ inconcoctio  
quan

quantopere corpori obsit, dicere non est opus.

137 Ventrem emollientes quantum fieri potest per  
cōsueta, quæ si nihil proficiant, clysteribus utēdū in  
principio quidē mollibus, postea verò acrioribus.

Oportet inquit in his febris semper ventrem subdu-  
cere, ipsum quam fieri potest non medicando (solet enim  
medicatio seu pharmacia, deleteriosam quandam visceri-  
bus inferre qualitatem ac malitiam) sed per cōsueta: con-  
sueta autem, (græce συνήθη) uocantur cibaria, ueluti lac,  
& mel, & sorbitiones ex oleo, & garo, & ex oleribus  
quæcunq; possunt ventrem mollire. Si uerò compertum  
habuerimus, nihil effatu dignum nobis ex his successurū:  
tunc deinceps necessariò ad medicamentosa nos conuerte-  
mus, clysteribus usi prius quidem mollibus, ut succū iam-  
diu siccum existentem humectemus: postea uerò etiā effi-  
cacibus, quandoquidem succi crassitudo haud rarò uiolen-  
tia aliqua amolitioneq; indiget: quò abluatio (hoc est,  
ἀπολύσις) fiat.

138 Arcendi autem sunt à suillis carnibus, & ab omni-  
bus quæ viscida sint & tardi transitus.

In uniuersum enim uult omnem in his dietam esse te-  
nuium partium, non crassorum & uiscidorum succorum  
generatricem, quandoquidem hæc excretiones cohibent,  
atque melancholico succo addita, duplicant febrem.

139 Et ab uniuersis eduliis quæ refrigerant & quæ  
humectant. Vinò uerò utendum est albo, & tenui,  
ac moderatè calido.

Hoc coniunctim intelligere oportet, non disiunctim. Si  
enim ipsum disiungentes, dicamus, oportere ab ijs quæ re-  
frigerant ipsos arcere, & rursus ab ijs quæ humectant:  
quatenus ad ea quæ refrigerant, uerus est sermo: quatenus  
autem



autem ad ea quæ humectant, non item. diximus enim superius, hunc succum, quippe qui siccus sit, humectandum esse. Sed ab hoc toto oportet ipsos abstinere, nimirum ab ijs quæ refrigerant simul & humectant. Si autem aliquod sit ex ijs quæ humectant, circa quòd refrigeret, haud inconuenienter sanè hoc ipsis offeratur. Porro ipsis exhibet uinum album, & tenue, ac, humectare ualens, propterea quòd hoc ipsum omnes naturales effluxiones prouocat.

Ex volucribus autem, quæ non palustres sint. 140

Nam quæ in paludibus degunt, excremento storem habent carnem: quòd quidem assidue nutrimento patu strio-  
ri ex illa aqua nutriuntur.

Ex piscibus qui facile concoquantur, ac molli 141  
sunt carne præditi, nec quicquã visciditatis habeât.

Molli carne præditos pisces eligit: quia facilius ipsi  
concoquantur. eligendi autem ex ijs sunt, qui minimè ex-  
crementitiam habent carnem, nec uiscidam. Ut nulli qui-  
dem, duri sunt. aselli, uiscidi nihil habent. capitones & se-  
pie, uiscosos succos gignunt.

Ac salsamentis utendum est & sinapi. 142

Quæ situ dignum est, quomodo ipse, qui passim salita  
esse melancholica asserit, ea nunc iniungat. Ait enim nos  
salem ipsis inspergere, quò humiditatem in ipsis conten-  
tam, absumamus, reliquam uerò ipsorum substantiam re-  
linquamus, siccam inquam ac exuccam existentem, ap-  
tãque ut in melancholicum succum uertatur. Quomodo  
ergo ea exhibet quartanarijs, qui tali succo sunt repletis

Et

Et dicimus, eum nunc, non ut nutrimentum, sed ut medicamentum, hæc exhibere: iccirco etiam sinapi eorum escæ admisceat. Oportet autem ipsis uti per dierum interualla: ut tenuitate quidem attenuent, substantia uerò nullam notatu dignam additionem faciant.

143 Et certis diebus diatriōpepeleon vel diospoliticon medicamentum assumant. & si piper solū singulis diebus cum aqua sumerent, rectè facerent.

Eiuscemodi enim antidoti caliditate succos attenuando, non parum conferunt.

144 A frictionibus autem & ambulationibus & lauacris alijsq; consuetis non omnino sunt arcendi. Et si etiā penitus à lauacris abstinere possent, solis contenti frictionibus, maximopere iuuarètur. Et si breuis fuerit nec admodum violenta quartana febris, nihil deterius fuerit in diebus intermediis cōsuetas exercitationes attingere. Hæc quidem in principiis & vsque ad vigorem sunt peragenda.

Quandoquidem fieri potest, ut per has motiones, quæ cutim rarefaciunt ac materiam attenuant, pars quædam huius succi digeratur. Si uerò possent à lauacro abstinere, magnopere hoc ipsis conferret, quandoquidem in balneo, sicuti etiā superius diximus, accidit, ut facta utilium cum inutilibus commixtione, omnium fiat corruptio: uel certè, ut digestis ijs quæ tenuium sunt partium, id quod relinquitur, ad excernendum difficile reddatur.

145 Si uerò in vigore morbi maximè videatur esse laborans, tunc victu tenuiori est utendum, quàm ante vel post.

Semper enim hoc nobis præcipitur, summam illam uictus

flus tenuitatem in uigorem seruandam esse : ne nimirum in alimēti concoctionem natura uacet atque impediatur, morbum negligens. Utendum ergo tunc tenuiori uictus ratione quā ante uel post. ante enim, plenius cibamus, ne factas prosternatur, quæ temporis longitudine affligi debet: post uerò, eam iam afflictam recreare uolentes, crassiori uictus ratione utimur.

Statim uerò, ut diu quiescat, est iubendum: uisceribusque est prouidendum, perfusiones ac cataplasmata, quæ emolliendi laxandique vim habent, adhibendo. Deinceps uerò diureticis uocatis medicamentis est utendum.

Solet enim motio naturæ certamen interrumpere.

Et si concoctionis morbi signa appareant: tunc medicamentis quæ atros succos uacuat purgare oportet, non semel tantū, sed etiam sæpenumero si hoc opus sit. Utendum etiam est vomitibus post cibum.

Quoniam enim iam preparatus est succus atque prætenuatus, uacuantibus medicamentis promptè obtemperat. Utendū igitur est tunc ijs quæ ipsum purgare possunt: tale autem est epithimum, ac quæcunque melancholicum succum è corpore extrahere solent.

Tunc autem iugiter si nihil prohibeat, veratrum album dandum est, primò quidē radiculis \* infixū. Si uerò nihil proficiat, ipsum etiam veratrum. Qui uerò vomere non possunt, his uehementius per inferiora purgatis.

Iugiter in his adhortatur ut ueratrum exhibeatur, quoniam in uigore melancholicus succus concoctus atque



attenuatus, à toto corpore in uentriculū cōfluit: timorq; est ne afficiat uētriculi os, atque lipothymiam (hoc est animi defectionem) uel syncopā inferat. Oportet igitur euacuatione quæ per ueratrū fit, uti. Veratrum autem uarijs modis præberi potest. Nonnunquam enim decoquentes ipsum in aqua, decoctum damus. Aliquando autem ipsius ueratri substantiam tundentes, præbemus, uel in tenuiores partes redditā uel in crassiores, si sanè minus uacuare uolumus, in tenuiores partes redditam damus: præoccupat enim hoc medicamentum celeriter unā cum succo excerni, immorans autem, suam ipsius actionem magis indicat. Quandoque uerò ueratri ramos sumentes, infigimus ipsos radices, hasq; in oxymelite unam uel alteram diem madesieri sinimus, atque deinceps ueratrum auferentes, radices ipsas comedendas exhibemus, ueratri nimirum qualitate in radiculis contenta.

149 Medicamentum ex viperis confectum, in potu dandum est: ac quæcunque ad huiusmodi febres cōmendatur: in quibus est illud familiare nobis omnium probatissimū, quod liquore cyrenaicū recipit.

Theriaca intelligit, quæ solet ipsis exhiberi. Hæc enim attenuando, potest, si quid huiusce succi relictum sit, excernere & digerere, & recorporare hoc est, *κατασκευάζειν*. Utendum autem est non hac sola, sed etiam alijs antidotis, quæ ad has febres laudantur. Excogitatum sanè ab ipso est medicamentum laudatissimum, quod liquorem cyrenaicum recipit. Quod autem aliud sit liquor cyrenaicus & alius qui uocatur medicus, perspicuum est.

150 Quicumq; uerò per initia aliquod ex eiusmodi medicamentis dedere, uel omnino ante vigorem: simplicem quidam quartanem, duplicem sæpenu-  
ro fe

ro fecerunt, aut omnino maiorem & difficiliorem reddiderunt: duplicem verò existentem, triplicem fecerunt, aut omnino sanè duas difficiliores ac maiores. Noui autem quendam medicum, qui ausus est homini tribus detecto quartanis, dare id quod ex vi peris cōfectum est, cum nōdum morbus esset in vigore. postea ut par erat, omnibus aduentis, continua subsequuta febris hominem interfecit.

Quotidianam autē curans, oxymelite vtere\* post primos dies, atq; iis quæ vrinas probè prouocare possunt. atq; vniuersum tibi diætæ caput secantius sit. Circa vigorem verò ventriculi ac præsertim ipsius oris cura habēda est. Postea iubendū, vt post radículas cibosq; assumptos, euomāt. & subductoriis pituitam vacuātibus est vtendum. Reliqua verò ipsius diætæ, ad cōmunes scopos inspiciens inuenies.

Continuas autem febres, quibus quidē vigor morbi non vltra septimam futurus est, & vires sunt validæ, & ætas consentit: in his valdè exquisita & tenuis victus ratio est instituenda. Quibus verò vel vltra septimam vigor totius morbi futurus est, vel vires non sunt validæ: per initia quidē, pleniorē: propè vigorem verò, tenuiorem: vigore verò præsentī tenuissimam victus rationem instituere debemus. deinde rursus assidue pleniorē: eodem modo incrementum facientes: quo decrementum ante vigorem faciebamus.

Quemadmodum à principio paulatim decrementum faciebamus quousque vigorem assecuti, in inediam desineremus: ita sanè oportet post vigorem non confectum ipsos ad pleniorē victus rationem reducere.

sed paulatim: singulis diebus exiguum addendo. ut in hunc modum ex additione, id est, ἄρροσσωγῆς, naturam ad cibos crassos, qui que alere corpus possint, tolerandos asuefaciamus. Solet enim subita mutatio vires conturbare. Et alioqui, cum inualidæ sint ob præcedentem febris intemperiem, & ob pugnam in morbo factam, nondum possunt ualidiores cibos conficere: atque opus est ut ipsas paulatim in salubrem consuetudinem inducamus, analeptico hoc est resectorio modo usi.

153 Sanguis verò & ob morbi magnitudinem, & si rubor multò maior sit quàm naturæ conueniat, ac quidam insolitus totius corporis tumor, vel eminentes atque extentæ venæ, sanè est auferendus: nisi te vires vel ætas, vel aliquid aliud eorum, quæ ab initio dixi, arceat.

Oportet enim in his uenam secando, perspirationem moliri: ut ex hoc putredinis malignitas cesset. Et certè sanguinem auferentes, reliqua naturæ committamus. Secare autem uenam debemus, si sanè scopi mittèdi sanguinis hoc attestentur, ut tumor corporis, uenæ extentæ, vires ualidæ, ætas uigens, & quotquot alia in sanguine detrahendo querere oportet.

154 Quòd verò humidæ diætæ omnes, acutis febribus omnibus cõferant, dudù rectè dictũ est. Prissanè ergo cremorè, quibus nõ acescit, dare oportet: & mulsam, quibus ipsa nõ bilefcit: ac forbitiones ex chondro, & panem ex aqua: ac quæcunq; alia eandè aut similem facultatem habeant. Illis verò quæ vehementer calidæ & ætuosæ sunt, cum primũ concoctionis signa conspexeris, audaciter frigidam aquam bibendã præbetò: exhibitionis quantitatè; ex  
temp



tempore, ætate, regione, natura, & cōsuetudine metiens. Talis sanè (in vniuersum loquendo) est februm quæ sine symptomatibus sunt, cura.

Hippocratis lex iubet ut calido & sicco morbo frigidam & humidam dietam opponamus. At humidam nominauit, nimirum cum eius usum securiorem esse nouerit: frigidam porro, quod non parum discriminis habeat, limitationibusque indigeat, silentio præterijt. Oportet enim frigida adhibere post morbi coctionem, facultate ualida subiecta, consuetudine attestante, nullaque principalium particularum imbecilla existente. Atque hæc omnia querantur communiter in frigidis omnibus, ac præsertim in frigide aque potione, cum hæc ipsa in eiusmodi febribus agonistica maxime sit.

Februm autem quæ cum symptomatibus sunt, non ita simpliciter. Sed quantum fieri potest, metiri oportet quanta sit ipsa febris, quantumque sit ipsum symptoma quod periculum infert. atque horum vehementiori difficiliorque insistendum est, altero tamen haud omnino neglecto.

Cum iam de febribus tum continuis & deficientibus, tum legitimis & spurjis narrauerit: nunc aggreditur id quod dudum fuerat pollicitus. Superius enim ipse promiserat primum quidem febrium quæ sine symptomatibus sunt, curationem tradere: postea uero earum quæ cum symptomatibus sunt. Diximus uero inibi, symptomata nunc ab ipso dici, non quæ cum morbis ex necessitate simul inuadunt, sed quæ post apparent: quæ possunt adesse & non adesse: quæque ita difficilia sunt, si adsint, ut medicus à morbis recedat, & totam eis curam adhibeat: quanquam medici perpetuo morbos

præcipuè curare uelint: quibus curatis unà etiam curètur  
 symptomata, quæ morborum ratione eueniunt. sed ob ho-  
 rum malignitatem coguntur sæpenumero ( ut diximus ) o-  
 missis morbis potissimum studium ac sollicitudinem in sym-  
 ptomatibus consolandis mitigandisue demonstrare. Scien-  
 dum præterea est, quandoq; morbi curatione cum sympto-  
 matis ablatione concordare: tuncq; medicus uno est con-  
 tentus præsidio, quod utrisq; resistere ualeat: Num unquã  
 autem inuicem aduersari: atq; id quod symptomati tollen-  
 do est, morbum augere, uel è contrario, tuncq; cõparare  
 oportet morbum symptomati: atq; ei quod urget, resiste-  
 re: urget autem, quod magis uires dissoluit: eius ergo cura  
 est habenda, altero tamen non neglecto.

156 Age enim si quis febricitet, & \* adfit plethorica  
 \*Affirma affectio, verum ex inconcoctionibus recentibus sit,  
 eiue legit & mordeatur ac comprimatur os vetriculi: vel etiã  
 expositor succum quendã prauum ipse euomuerit, ac ex eius  
 transitu magnoperè sit læsus, ita ut molestè anxieq;  
 ferat: Nunquid hoc in loco ad febrem respicien-  
 tes solam, vacuare multitudinẽ tentabimus? id quod  
 sanè aliàs citra noxam fecissemus: An prius ori ven-  
 triculi prouidebimus, atque ita deinceps, ubi ipsum  
 bene nobis sese habuerit, conueniẽtem totius cor-  
 poris vacuationem faciemus? Mihi quidẽ ita vide-  
 tur. Sæpius ergo multos ita affectos vidi, alios qui-  
 dem interiisse: alios verò in extremum periculum  
 adactos, cum medici eos prius vacuare quàm sto-  
 machum roborare tentauissent. Sed nec si cum dia-  
 rhœa hoc est alui profluuio febris fuerit, aliqua alia  
 indiget euacuatione. Sed hæc ipsa sufficit, quamuis  
 non sit pro multitudinis ratione. Quicumque enim  
 ijs tan

iis tanquam pluri detractioe indigentibus, uel sanguinem ducere, uel ventrem mouere sunt ausi, adhuc magis acuta pericula intulerunt.

Plethorica affectio est, ipsa quatuor succorum auctio: nonnunquam etiam sanguinis immoderantiam ita nominant. Itaque contingit quandoque plethoricum quempiam hominem a febre corripitur, stomachumque ipsi uitiatum esse uel a uomitu, prauis nimirum succis in transitu ipsum uitiantibus, uel a diuersitate ciborum ex inconcoctione corruptorum, ideoque stomachum mordicantiu: id quod molestum atque anxium eum reddit. Quid ergo hoc in loco agendum est? Nunquid stomachum curare prius oportet, an multitudo uacuanda est? Profecto hoc facere non possumus circa noxam, stomacho non curato. quare melius est ad huius curationem primum accedentes, ita deinceps ea, quae multitudinem euacuant, adhibere.

Sed neque si quis spasmo laboret, simulque sanguinis 157  
 uacuatione indigeat: huic tantum sanguinis semel auferre conuenit, quantum exigit plenitudo. uerum aliquid etiam symptomati est relinquendum, quod plerumque & sudores mouet, & uigilias infert, & robur aegrotantis deiicit. ita etiam si uehemens uigilia, si dolor intensus aegrotantem infestet, confertae ac multae uacuationes sunt cauendae.

Quod spasmus motio inuoluntaria sit in uoluntariis instrumentis eueniens, quodque particula spasmolabores, longitudinis ablationem patiantur, saepius diximus. Quin quod eiusmodi symptoma a repletionem & ab euacuatione fiat, nemo est qui nesciat. Nunc ergo supponatur ipsum a plenitudine ortum esse. ergo huius curatio per



contrarium fit, quod est euacuatio. Verū non oportet tantam fieri uacuationem, quantam pollicetur plenitudo. sed mediocriter est euacuandum, reliquumq; sp̄asmo permitendum. cum ipse post moderatam uacuationem & siccare & digerere possit quicquid relicta multitudo euacuandum indicat: cum *pr̄sertim* immodica facta euacuatione par sit vires ipsas deiciendas esse: quippe tum à sympto- mate, tum ab immoderata uacuatione uexatas.

158 Veluti autem symptoma quoddam & ipsa ambiētis aeris temperatura existimanda est, cum sanè exquisitè calida sit & sicca, quemadmodum hoc anno fuit inter canis ortum & arcturi. ob idque omnes interiere, quibus medici nulla prorsus animaduersione temporibus adhibita, venam secare sunt ausi. Sic sanè & si vehementer frigida sit. nam & tunc ab effundēdo sanguine cauendū est, cū nō parua in his pericula subsequi viderimus. Perdūtur autē, qui in calidis admodū constitutionibus haud rectè fuerūt vacuati, à syncopa (hoc est concisione) quā vocant, ac diaphoresi (hoc est digestionē) qui verò in frigidis per accessionū initia vehemēter refrigerati, nō amplius releuātur. Ob hęc igitur neq; in calidis neque in frigidis supramodū regionibus, sanguinē detrahēre audemus. sed si tēpus anni regioni consentiat, penitus abstinemus: si verò nō cōsentiat, vacuamus quidē, ast multò minus quā si neutrū prohiberet. Veluti etiā symptoma quoddā, ipsa agrotātis ad patiendum facilitas considerāda est. multi enim *gr̄c̄is* hęc [neq; vnquam sunt vacuati,] neq; vllā euacuationē verba nō confertiolem, neque in ediam longiorem tolerant:

In quibusdam cod. gr̄c̄is hęc

Sed

Sed nonnulli ob hæc toto corporis robore inuali-habétur.  
 di facile fiunt: quidã verò statim stomachum malè  
 affectũ habent, ita vt cibos abhorreant, & si coacti,  
 eos assumant, vel non retinēt, vel non probè cõco-  
 quunt. In hac dignotionis parte, agrotantis etiam  
 temperamentũ ponendum est. Quicunq; enim ca-  
 lidi & sicci naturã sunt, hi omnes à cõfertis vacua-  
 tionibus promptè læduntur. Consuetudo quoque  
 non parũ cõfert cum ad alia omnia tũ non minimè  
 ad vacationis indicationē. \*quidẽ enim nunquã \* Manu-  
 antea fuerũt vacuati, nec vnquã vacationē con-  
 fertam pertulerunt, & multis cibus sunt vsi. quidam <sup>scripsi ta</sup>  
 contra, nec multis vtuntur cibus, & vacationibus <sup>men qui-</sup>  
 sunt assueti, Hos igitur interpidè vacuare oportet, <sup>dam codi-</sup>  
 Quidam <sup>ces habet:</sup>  
 quando sanè etiam reliqua vacationem dicent: <sup>Quidam</sup>  
 enim nec <sup>enim nec</sup>  
 ceteros autem, nec si alia omnia persuaferint. <sup>vnquam</sup>

Rectè addidit, ueluti symptoma: quando quidẽ conti-  
 nens ambiensue nos aër nõ in corpore contentus, sed ex-  
 trinsecus consideratus, indicationes à se ipso sumptas no-  
 bis ad uacuationē præbet. Igitur cum hic uel calidus ad-  
 modum & siccus, uel frigidus admodum & humidus est:  
 uacatio non est faciendã. Vtrunq; enim horum tempera-  
 mentorum non parũ corporibus officit: calidum quidem  
 & siccũ, ob immoderatã digestionem, syncopam inducen-  
 do: frigidum uerò & humidum, corpus refrigerando, ac  
 præcipuè in accessionũ principijs, suffocationē minatur.  
 Quoniam enim didicimus hoc tẽpore corpus perfrigera-  
 ri: quippe cum natura in profundum se contrahat ac re-  
 cedat, simulq; secum eius uehicula, spiritus inquam & san-  
 guis, in quibus innatus calor continetur: ob id frigiditas  
 ab immodica uacuatione & ab ambiente aère proueniens, <sup>vacuatio-</sup>  
<sup>nem cõ-</sup>  
<sup>fertã per-</sup>  
<sup>tulerunt,</sup>  
<sup>& multis</sup>  
<sup>cibus sunt</sup>  
<sup>vsũ &c.</sup>  
<sup>Sunt etiã</sup>  
<sup>codices,</sup>  
<sup>qui ha-</sup>  
<sup>beãt: Qui</sup>  
<sup>dã enim</sup>  
<sup>nec vnquã</sup>  
<sup>uacuation-</sup>  
<sup>nem con-</sup>  
<sup>fertã per-</sup>  
<sup>tulerunt,</sup>  
<sup>nec mul-</sup>  
<sup>tis cibus</sup>

font vsi: huic addita frigiditati, sepe numero hominem adeo refri-  
 quidã cõ- gerat, ut amplius nec reuocari, nec regredi, nec pristina  
 tra, & mul- caliditate recuperare ualeat. periculumq; sepius eius ce-  
 tis vtitur modis temperamento intulit.

159  
 cuationi- Ad eundem verò modum & habitudines corpo-  
 bus sunt ris considerare oportet. nã qui densam & solidam  
 affucti. habent carnem, his habitus est difficilis ad patien-  
 dum. quare timendum nõ est eos semel vacuare, si id  
 etiam alia iubeat. qui verò mollem algosam prom-  
 pteq; diffluentem habent: his habitus ad patiedum  
 est admodum facilis: quamobrem in his etiam si re-  
 liqua omnia effundendum esse sanguinem iubeant,  
 id tamen facere non est audendum: quin & aliis  
 etiam vacuationibus, quantum moderatè & cautè  
 fieri potest, vtendum est.

Habitudines (græce σφισίς) corporis, uocat densitatẽ,  
 raritatẽ, mollitiẽ, & duritiẽ carniũ. Oportet ergo in his  
 querere si carnes sint duræ, & densæ, & molles, & raræ.  
 Si enim molles sint: facile in his halitus à profundo ueniẽ-  
 tes, ipsas uulnerat, ac digestionis sunt causa. ideoque sanè  
 eiusmodi corpora, mediocri indigent uacuatione: Si ue-  
 rò sint duræ, contrariũ euenit: atq; ob hã causam, in pue-  
 ris habitum eudiaphoretum, id est, qui facile digeri possit,  
 esse dicimus: non quia omnino rariores habeat cutis me-  
 tus: sed quia mollis ipsis inest caro, atque algosa, ab im-  
 dica nimirum humiditate, talis reddita.

160  
 Eodem modo & qui supra modum sunt crassi vel  
 graciles: nam & his tum venam secare cauendum est:  
 tum reliquas euacuationes cõfertat vereri oportet.  
 Inter hæc etiam ponenda est ætas veluti symptoma  
 quoddã, confertam euacuationẽ prohibens. neque

enim



enim pueri, neque senes innoxie ipsam ferunt. Hos igitur commemoratos omnes, ubi affectiones euacuationem dicent, non semel, nec confertim, sed paulatim euacuare oportet, inediis moderatis, clysteribusq; mollibus, perfusionibus, cataplasmatibus & balneis: horum singulorum rursus indicatione a predictis sumetes. Ita vero si quando duo symptomata contraria consequantur, considerare oportet, utrum eorum sit fortius. Eodem etiam modo si duo morbi eundem hominem obsederint, qui pugnales faciant indicationes: nam & tunc aduersus id quod magis vigeat, instandum, altero haud prorsus neglecto.

Crassos hic dicit non qui carnosissimi sunt, sed qui pinguedinis copia teguntur, cum frigiditas semper eiusmodi crassitiam generare soleat. Patet igitur, ut hi immoderatus uacuat ad extremum frigiditatis perueniant, praefertimque quod accidat sanguine uacuato, carnes quae uasis superiacent, ubi super ipsa deciderint, uenarum symptomata (hoc est concidentiam) facere: ob idque suffocationis periculum inferre. Sane inquisitione dignum est, quoniam modo in gracilibus uacuationem respuat: cum ipse tamen sepe numero pronuntiarit, graciles magis quam ceteros sanguine plerumque abundare: magisque, quantum ad hoc spectat, confertas uacuationes tolerare. Et dicimus graciles hic ab ipso dici, non qui parum, sed qui supra modum sunt graciles. hoc enim in oratione ponitur. Ac profecto crassi quidem, a uacuatione leduntur, quia refrigerantur: graciles uero, quia exiccantur. Neque uero pueri, neque senes innoxie ipsas ferunt: pueri quidem, ob facultatis imbecillitatem: senes uero ob frigiditatem siccitatemque temperamenti.

Quae

161 Quæ uerò à symptomatibus & morbis indicationes sumuntur: non simpliciter sed pro causa quæ vnunquodq; facit, considerandæ sunt: ueluti est animi defectio & exolutio. consueuerunt enim medici de vna re ambo hæc nomina proferre. ipsa quidē igitur res, vna est: causæ uerò ipsius, multæ.

*Artificiofissima methodo utens Galenus, hoc in loco symptomata ac morbos curat: causas, quæ hæc ipsa faciunt, inquirens. Accidit enim quandoque morbi unius uel etiam symptomatis, multas esse diuersas causas: atq; oportet nimirum, ubi causam facientem exquisitè cognoueris, atque aduersus ipsam institeris, ita deinde congruam remedium exhibitionem facere.*

162 Animo enim deficiunt ex cholæris, diarrhœis, & dysenteriis.

*Lipothymia (id est animi defectio) nihil aliud est, quæ conferta digestio uitalis tenoris. fit autem ipsa genere quidē tripliciter: specie uerò à multis causis. Fit enim uel ob multitudinē quæ grauitate uires suffocet: uel ob uacuationem immodicam, quæ unā cum inutilibus utilia egredi faciat: uel ob confertam temperamenti mutationem. Ac prius immoderate uacuationis causas particulatim exponit, deinceps uerò reliquas etiam attingit. Cholera autem (hoc est bilaris) est bilis tum per superiora tum per inferiora uacuatia. Diarrhœa autem est aluiliatio fluxio, & ipsa rursus per causas eam facientibus, euarians. uel enim ex cibariorum corruptela fit, uel ex obstructione primarum uenarum. necessariū enim tunc est, cum distributio apud amplius fiat, nutrimentum subduci. Nonnunquam autem memoratorum nihil est, sed ab ijs quæ à toto corpore in uentriculum confluunt, succus per intestina*

*uacua*

uacuat. quare pro diuersitate causæ diuersam adhibere curationem oportet.

Et lienterii & muliebri fluxu, vulneribusq; & hæmorrhoidibus, & sanguinis reiectionibus, ac sanguinis per nares eruptionibus.

Lienteria (hoc est leuitas intestinorū,) est celer egressio cibariorum, eiuscemodi exeuntium, qualia deuorata fuere. Fit autem hæc ipsa lienteria: uel quia uenterculus imbecillitate laboret ob extremum casum retentricis facultatis: uel quia internam ac summam sui ipsius partem, ob ulcerationem superficiariam, inutilem habeat. Tunc enim cibaria uentriculi corpus tangentia, ipsum molestant ac mordicant, atque ad dolorosam motionem ducunt: ut non amplius contineantur, sed statim tanquam per canalem quendam inanimatum excernantur. unde etiam idiotæ *σωλήνα*, hoc est canalem, hunc affectum nominant.

Immodicisq; puerperis purgationibus. Nonnunquam uero magna inconcoctio animi defectionem intulit, ac præsertim cum immoderatus uenter subduxerit. Et qui uocatur bulimos, nihil aliud est quam animi defectio.

Sciendum est, circa foetum tres esse membranas: quarum altera amnios, altera allantoides, tertia chorion appellatur. ita autem nominata fuit: quandoquidem multæ uenæ ac arteriæ in ipsa sunt, tanquam in choro quodam congressæ, ac per ipsam foetus nutritur. Hoc igitur chorion sæpius quidem cum infantibus deorsum ducitur: sæpius uero etiam post partum, deinceps detrahitur. Siue autem hoc, siue illo modo necesse sit illud per auulsionem deorsum duci, pericula haud pauca mulieri infert. Tunc igitur accidit, ut sanguis multus in uasis uulue contentus, qui



qui & à toto corpore ad nutriendum fœtum affortatur, eo deorsum ducto, euacuetur. eiuscemodiq; res, purgatio locœa id est, puerpera appillatur. quæ cū immoderatio fit, sapius animi defectiones facit. Intulit etiam quandoq; ipsa inconcoctio animi defectiones. nam inconcoctio necessariò multa excrementa facit, eaq; interdum mordacia. Accidit autem ut ipsa uel cohibeantur, uel educantur: si igitur cohibeantur, hæc ipsa grauitate ac mordicatione, animi defectionē faciunt: si uerò educantur, immodica uacuatione idem efficiunt.

165 <sup>311</sup> Ac omnem etiam uterinam strangulationē animi defectio præcedit: ac uterorum recursus ad superiora, insequitur: atque inclinationes ad latera, eorumq; phlegmonas plerunque consequitur.

<sup>311</sup> Inquit animi defectionē uterinæ strangulationi, antecedere: quanquam strangulatio prius fit, ac deinceps, animi defectio sequitur. Et dicimus, hoc in loco puiga id est strangulationem, abusiue pro apnoea id est intercepta spiratione ab ipso uocatā fuisse. Differt enim apnoea, à strangulatione uterina. si quidē apnoea fit ex superfluitate seminis putrescentis, prauasq; quasdam exhalationes ac præsertim frigidas ad cor mittentis, ipsumq; extinguetis, atque ita spirationem intercipientis, contingit autē quandoq; melancholicas exhalationes, quæ ex ipso semine feruntur, sursum ad cerebrū reuerrere, symptomataq; melancholica facere. Talis quidē est uterina apnoea. Strangulatio autem fit ex spasmo matricis sursum tractæ, & per continuitatem intestina, uentriculū, septum transversum, ac respiratoria alia membra comprimētis: non, (ut quidam suspicati sunt,) quod quasdam particulas prætergressa ipsa matrix, circa thoracem perueniat, imò magis  
in tho

in thorace ipso, tanquam eū depræbenderit, stragulatum faciat. Hoc enim inopinabile est. In uterina igitur apnoea omnino præcedit animi defectio: (nihil enim aliud est apnoea, quam intensio defectiois animi) necesseq; est moderatorem affectum difficiliori antecedere. quare prius quidem animo deficiunt: postea uerò affectu inualescete, apnoea etiam sequitur. Strangulationes autem, quis & ad pectus in est, ad superiora recursus uocant, ut diximus, animi defectio sequitur.

Præcedit autem apoplexiam. 166

Nam apoplexia, cum sit absoluta priuatio sensus & motus corporis, præcedentem habet animi defectioem, in qua etiam moderatè sentiri potest. Enimvero sæpius animi defectio, uel potius animo deficiens, tanquam ex profundo quodam ea quæ dicuntur, audire suspicatur: ac qui uehementius clamant, tanquam uix loquantur, persentit.

Et malignam epilepsiam, & diaphoreses, & syn- 167  
copas, & marasmos.

Epilepsia est spasmus totius corporis cum actionum retractorum læsione, sed non absoluta. uerum quæ maligna est, talis existit, nimirum quando continenter fit, ita ut & resurgant & decidant, in quibus contingit ut uires dissolue affectum, in quo animus deficit, excipiant.

Sed & vnà cum non paucis inuasionibus febrili 168  
inuadit, præcipueq; quando summè siccū & squallidum aut immodicè plethoricum fuerit corpus.

In accessionum principijs contingit quandoque defectioem animi fieri duobus modis: uel ob immodicam ac confertam intemperiem: uel quia tunc in profundum confluentes succi, strangulatum & animi defectioem inferunt.

Et cum

169 Et cū ardēti & maligna febre nonnunquā simul inuasit & eos quibus extrema corporis vehemēter sunt refrigerata in febrium inuasionibus.

*Causus (hoc est febris ardens,) ob immodicā quandoq; digestionem, largo nimirum existente febrili calore, defectionem animi inducit: quanquam maximē in principio accessions, ob causam prius dictam.*

170 Et quicumque vel ob magnitudinē phlegmones iecoris, vel ventriculi, vel stomachi febricitant, ii etiam animo deficiunt nonnunquam in accessionū principiis: in primis verò, quibus succorum crudorum inconcoctorumq; copia adest.

*Qui phlegmonas inquit habent in aliqua harum particularum, in accessionū principijs animo deficiūt, merito. Confluētēs enim succi, comprimētēsq; inatū calorem, à phlegmone iam compressum, ex duplici cōpressionē animi defectionē inducunt: præcipuē uerò quibus copia succorum crudorū atq; inconcoctorū adest, tūc enim facultas tentabit quidem eos extrudere: at ij ob suam ipsorum crassitiem ac uiscositatē obtemperare non ualebunt. quare facultas ipsa dissoluta necessario animo deficiet.*

171 Et aliqua obstructio insignis particulæ. *Hæ enim in consensum sympathiamue ducentes principia, animi defectionem faciunt.*

172 Animo etiam deficiunt quibus os vētriculi imbecillum est, \* vel à succorum prauorum qualitate mordetur, vel à crassis ac uiscidis humoribus grauatur.

*In his enim ob naturalem imbecillitatem à toto corpore in os uentriculi succi confluentes, pro sua ipsorum natura, animi etiam defectionem faciunt. Nam si hi, crassi*



hi, crassi uel uiscidi fuerint, comprimendo, uires dissol- prauitate  
uunt: si uerò acres uel mordaces uel aliquam aliam prauā mordeat,  
qualitatem habuerint, ob eiusmodi intemperiem synco- vel à cras-  
pas inferunt. sis aut vi-  
scidis, aut

Quinetiam ex affectuum animalium: vehemen- humidis  
tia animo quidam deficiunt: magis uerò senes hoc aut frigi-  
patiuntur, & qui alioqui imbecilles sunt. Nam ple- dis graua-  
rique eorum tristati vel lætati, tur.

Sciendum est, affectus ipsos animales, si imbecillæ ad 173  
modum facultati superuenerint, ipsam dissoluendo, mor-  
tem inferre, animi defectione posthabita: Si uerò facultas  
resistat: causaq; sit imbecilla, animi defectionem facere.  
Tristitia ergo ob refrigerationis immoderantiã, & quia  
succus in profundum corruunt, naturamq; suffocant, animi  
facit defectionem: uoluptas uerò, naturam dissipando, in-  
natamque calorem digerendo.

Et irati animi defecerunt.

Quæsitum dignum est, quomodo ipse sibi ipsi aduersari 174  
uideatur. ait enim alijs in locis, iratum nullum perijisse, & 2. de cau-  
hoc merito: nam in iracundia facultas ualidior seipsa lon- sis sym-  
gè fit, ut diximus: nimirum quæ conetur ea, quæ tristitiam ptomatū,  
intulerunt, punire. ob idque tunc innatus calor extrorsum cap. 5.  
fertur, ueluti per se ipsum tentans hostem ulcisci. Hoc au-  
tem in loco animi defectionem ait ex iracundia fieri. Di-  
cimus ergo, irascentes, quoniam in eis spiritus innatusque  
calor extra proruit, si facultate robusta fuerint, resistere,  
nec animo deficere: si uerò imbecilles fuerint, ut non am-  
plius facultatis tenorem possint conseruare, animo defice-  
re: præcipueq; cum habitu corporis raro fuerint. Ob hæc  
sanè causam inuenire licet ex irascentibus aliquos quidem  
rubicundiores, aliquos uerò pallidos ac tremulos: tremu-

H

los sanè, ob facultatis imbecillitatē, quæ non amplius particulas sustentare ac uehere queat, sed inordinate ipsas moueat: pallidos autem, quia cum iracundia quidam metus coniunctus est, qui talem in ipsis colorem inducit. Potest & illud quoq; dici, iracundiam, quæ animi defectionē facit, ad interitum nunquam ducere (nam quæ moderata est, neque etiam animi deiectionem infert) cum nec ipsam quidem possit intendere. si enim haberet id quod facit, necessariò etiam sanè id quod fit, haberet. Enimuerò intentio defectionis animi nihil aliud est, nisi mors. Non est ergo mors in irascentibus. Quare sermo ille uerus est, Nullus iratus perijt, licet animo defecerit.

175 Quinetiam & madores aliquando haud in tempore iis qui ita habent, superuenientes, animi defectionem inferunt: quemadmodum robustioribus sudores immoderati. Et si abscessus rûpatur, ei qui valida non admodum sit facultate, præcipueque si ruptus confertim in ventriculum vel stomachû vel thoracem confluat. Et nos ipsi abscessus secantes, si pus confertim vacuauerimus, hominè animo deficere est necesse. Et si purgâtes vel clysterem iniicientes, vel quomodocunq; vacuantes, confertius ipsum egerimus. Neq; enim humidum quod in hydrope est, licet superfluum sit, ac præter naturâ, innoxie fert confertam vacationem: sed tunc quoque necesse est hominem animo deficere.

Hi qui ita habent, inquit, id est qui facultatem habent imbecillam, & immoderatos animi affectus sustinent. in his enim moderati etiam madores satis sunt ad animi defectionem inferendam. Si uerò robustiores fuerint, madores non amplius hoc facere possunt: uerùm sudorû immodica

*modica uacuatō animi defectionem inducit.*

Sed & ob doloris magnitudinem exolutiones 176  
fiunt, moribus quibusdam, vel torminibus,

*Solet enim doloris excessus uires dissoluere.*

Vel ileo, vel colica affectione subito incidente. 177

*Ileus, est uomitus stercoris. fit autem à phlegmone intestina occupante, nec permittente stercoři solitum iter facere. & hoc est signum affectus periculosum, ac raro salutare. uires enim dissoluit doloris excessu ac stercoris qualitate stomachum ac concoctoria instrumenta perturbans. Quod autem colici etiã dolores uehementissimi sint, non opus est ut dicam. fiunt autem à pituita crassa, quæ intra duas coli tunicas continetur, atq; in flatum resoluitur. ac sp̄çous hoc est tortiones torminãue, ac immoderatas distentiones infert.*

Sed & neruus vulneratus ac musculi caput animi 178  
defectionem attulit. & vlcera maligna in articulis existētia, & gangrænosa ac depascentia omnia : & immoderata quædam frigiditas vel caliditas, ac vitalis tenoris solutio. Hæ quidē sunt defectionis animi causæ. In singulis autem ipsarum peculiaris est curatio. ac de omnibus nunc scribere nõ est locus.

*Quoniam hæ fluxionibus magis obnoxie sunt, quàm reliquæ ipsius partes. Fiunt autem quandoq; ulcera in his.*

Nam quæ affectibus assident, sine illis curari nõ 179  
possunt. Tantum ergo in præsentī oratione de ipsis dicemus, quantum edoctus quispiam accessionibus statim incidentibus occurrere valeat. verbi gratia iis qui ex cholëris & diarrhœis, atq; aliis copiosis atq; confertis vacuationibus exoluuntur: aqua fri-



gida aspergenda est, naresq; comprehendendæ, atque os ventriculi perfricandum, vomitusq; est imperandus : aut irritandus est stomachus vel digitorum vel pennarum immisionibus. sed & manus & crura ligare oportet, ac vincula plura quidem ac vehementia circa manus, quando per inferiores partes vacuationes fiunt, quemadmodum in hæmorrhoidibus, & diarrhœis, & quæcunq; per vteros mulieres euacuant. Tunc enim vehemens crurum ligatio, aliquid sæpius deorsum detrahit. Contrà verò in sanguinis per nares eruptionibus & vomitibus vincula plura & vehementiora circa crura fiant. Et sanè quibus ex vulneribus sanguis erumpit, eodem modo: supra quidem, si in inferioribus : infra verò si in superioribus id accidat, vincula iniicere oportet. Inuenienda autem est aliqua etiam accliuus figura parti, non tamen admodum vehementer. Si enim tendatur ex hoc & doleat, nihilominus irritatur ac si esset decliuus.

Oportet inquit in his artus (Græcè *cōla*) id est, manus & crura ligare. Et in uacuationibus quæ deorsum fiunt, manus ligamus, ut ex dolore materias illuc proritemus, ac ueluti reuellentes ab inferioribus ad superiora, uacuationem arceamus. Si uerò per superiora uacuatō fiat, cōtrarium facere oportet, hoc est crura ligare: scientes si in eas ipsas regiones à quibus uacuatō prouenit, uincula iniiciamus, nedum nihil nos profuturos, quin magis etiam laborantē lesuros: quippe qui sanguinis profluua augeamus.

180 In vniuersum autem reuellere oportet vel ad ea quæ cum partibus affectis communia sunt, vel ad ea quæ euacuationem sunt exorsa. ob id enim confer-

*tas utero*

tas vterorum vacuationes cucurbitulæ sub mammis appositæ celerrimè sedant.

Hoc in loco generales quosdam exponit modos reuulsionis. Oportet enim ait reuulsionem fieri uel ad eas particulas quæ miserunt, uel ad eas quæ cõmunicant. Vt exempli gratia, communitatem habent mammae cum matricibus per quasdam uenas, quæ scilicet sanguinem (qui dudum in utero prægnationis tempore, ut in foetus nutritionem dispensaretur, erat collectus) nunc ad mammam transferrunt, ut in lactis formam transmutetur: ac rursus extra eiciens, puerulum nutriat. Si igitur ex utero uacuatio fiat, cucurbitulas mammis apponentes, ipsam fieri prohibemus. Hæc itaque est reuulsio, quæ per communicantes partes fit. Reuulsionem autem ad particulas quæ miserunt, faciemus, quando, quæ susceperunt, nobiliores sint quàm quæ transmiserunt: Nam si contra se habeat res: ut quæ miserunt, nobiles: quæ susceperunt, ignobiles ac minus principales sint: non amplius reuulsionem ab hoc scopo capimus.

Quæ uerò ex naribus fiunt, iecori & lieni secundum narem à qua sanguis erumpit, & si ex ambabus confertus multumque feratur: uisceribus ambobus adiciendæ sunt.

Quærendum est cur cum sanguis à dextra uel à sinistra nare fertur, eum, qui ex dextra fluit, iecoris esse dicamus, eum uerò qui ex sinistra, lienis. omnes enim uenæ sanguinem portantes à iecore feruntur. neque enim (ut quidam arbitrabantur) ex cerebro duæ uenæ deferuntur. hoc enim ex anatome redarguitur. Quomodo ergo dicimus secundum rectitudinem sanguinem ferri, uel secundum processionem (hoc est κατ' ἴκιν) ut ait Hippocrates? neque enim conspiciamus ex ipso iecore uenam secundum rectitudinem

ferri ad dextram narem. sed propagines quædam sunt, quarum unaquæq; particula in dextro latere fruitur. Hoc igitur soluemus in hunc sanè modum. Sciendum est, ex tribus quibusdam nostrum corpus, ut sæpius diximus, constare, solidis inquam humidis & spiritibus: atque his assumptis naturam totum corpus cõposuisse, ipsumq; bipartito secuisse ueluti quadam linea duas ipsius partes distinguente. quæ sanè in labro & sterno, id est, osse pectorali apparet. Hoc autem fecit natura, ne dum una pars est affecta, totum corpus simul afficiatur: ac ex unius partis actione læsa, totius corporis actio lædatur. Enimuerò in semipercussis hoc fieri uidemus. Nam sinistris sæpenuero partibus resolutis, dextræ sanæ sunt: uel è contra. Tria igitur hæc, dico sanè solida, humida, atq; spiritus, inter se mutuò afficiuntur, atq; uno moto, reliqua etiam unà mouentur. Et hoc est quod Hippocrates dicebat: Conspiratio una: & confluxio una: & omnia, sympatheia id est, compatibilia sunt, mutuò ue inter se afficiuntur. Cõspirationem quidem in spiritibus, confluxionem uerò in humoribus, sympatheia autem in solidis accipiens. Et conspirationem unam confluxionemq; unam dextrorum ad dextra, sinistorum ad sinistra. Quoniam igitur didicimus in nostro corpore esse spiritum, scire etiam oportet, quemadmodum in omni particula corporis est: nullaq; est quæ huius spiritus non sit particeps: sed, & per carnem & per os permeat: tenuissimarum enim partium est: ita ut nihil ipsi sit inuium. per omnia igitur permeans, cõtinuus sibi ipsi est qui quidem in dextera parte est, ei qui est in dextera: qui uerò in sinistra, ei qui est in sinistra. Si ergo in liene quædam affectio existat, facultas quæ in ipso est excretoria, insurgit ut noxium expellat. cogitur itaq; in se ipsum lien, ac ueluti contrah

Libro de  
Alimèto



ti contrahitur (hæc enim est excretoriæ facultatis actio) & dum cogitur, mouetur: dumq; mouetur, unâ cum ipso spiritus etiam mouetur: quippe qui tenuium partium sit: superioremq; lationem expetit atq; insequitur: ac tum per uasa tum per occultos meatus proficiscitur, dùmque ipse peruadit, uias dilatat: postea, dum est circa sinistras cerebri partes, sinistram narẽ, raram ac latioreẽ facit, ac ut ex ea sanguis erumpat, paratioreẽ. Succus igitur qui pellitur à facultate quæ in liene est excretoria, retrogreditur ad iecur: postea facultas quæ in iecore est, cùm nequeat ipsum ferre, expellit. hic uerò sursum per uenas tendit, ac dum circa caput fertur, sinistram narẽ apertam inuenit, per eamq; excernitur. Ad eum etiam modũ in iecore se habet. cùm enim in ipso affectio fuerit, spiritus qui in ipso est, cùm mouetur, ac ad superiora fertur, dextram sibi ipsi narẽ preparat. Qui igitur sanguinis eruptionem quæ per nares fit, reuellere uult: si ex dextra quidem nare profluat, iecori: si ex sinistra, lieni: si ex ambobus, ambobus etiã uisceribus cucurbitulam imponere debet. Nã spiritus dum ex superioribus ad inferiora transfertur, succos secum commouere facit, ob idq; uacuationem, quæ per nares fit, prohibet.

Sanat etiam uinum frigida temperatum exolutionem quæ ex confertis uacuationibus proueniunt: ac præsertim si fluxiones ad uentriculum repant. Considerandum autem est nũm aliquid talem exhibitionem prohibeat: ueluti si aliquod uiscus phlegmone laboret, uel capitis dolor adfit uehementior: uel affectus aliquis deliratorius, uel febris ardẽs in morbo inconcocto. magnæ enim in hisce, ac propemodũ iusanabiles ex uini potione noxę sequuntur.

tur. Quòd si nihil prohibeat, deinceps ægrotantis naturam, consuetudinem, ætatem, atque ambientis aeris temperamentum definire oportet. ad hæc enim respiciens, calidum vel frigidum potum dabis. Nam qui frigido potui sunt infueti, vel etiã manifestè ab ipso læduntur: & qui naturà sunt frigidiores, & qui in extremo sunt senio, & regione naturà frigidiori, & in hyeme, à frigido sunt arcendi: Qui verò contrario modo si habent, iis intrepidè dare debemus.

*Quoniam ex immoderata digestionè defectio animi fit, iccirco nutrimentis indigemus, quæ id quod deest, corpori restituant. Verùm si ipsa nutrimenta se ipsa & trãsmutare & corpori apponere naturà possent: illa certè impræsentiariù eligeremus, quæ maxime nutrire possent, qualis est caro suilla, & panis, reliquaq; id genus edulia. Sed quoniam facultas est, quæ has omnes actiones dispensat, nec sine ipsa, nutrimentum unquam corpori apponetur: iccirco pro ipsius tenore nutrimentum admouemus. Neq; igitur cum nunc imbecilla supponatur facultas, nutrimentis maxime nutrientibus indigemus (hæc enim concoctu difficilia sunt, nec facile facultati alteratrici cedunt): sed ijs quæ celeriter ac citra laborem concoqui, celeriterq; distribui possint. In hoc igitur uinũ exhibemus, cum celerrimè alterari basimq; ac sedem illius, quod digestum est, replere possit. Oportet autem ipsum aqua frigida temperare, ut nimirum frigiditate facultates dispersas colligat, corporique tenorem adijciat. Si uerò à toto corpore ad uentriculum confluxio fiat, tunc maxime confert, uino aqua frigida temperato uti. Dum enim eiusmodi uinum distribuitur, materias etiam secum asportat, fa-*  
citqu.

citque ut ipse contrario itinere ferantur: sicq; lationem, quæ in uentriculum fit, prohibet.

Sit autem uinum in fluxionibus quæ in uentriculo repunt, tenue & calidum, quale est Lesbium. 183

Huiusmodi enim uinum cum promptè distribuatur, fluxionibus quæ in uentriculum feruntur, obuiam it: distributionisque uolentiâ, ea quæ perperam atq; inordinate moventur, secum asportat.

In sanguinis uero eruptionibus, crassum & nigrum & acerbum. 184

Oportet sanè ut plurimùm, ubi adest sanguinis eruptio, cauere ab exhibendo uino. Si forte uero necessitas id exposcat, cum nos alio modo haud possimus facultatem reuocare, nisi per uini usum: dandum id est crassum atque acerbum: ut crassitudine quidem, crassiorem ægréque fluxilem reddat sanguinem: acerbitate uero, meatus condenses. sicq; unde quæque sanguinis excretionem prohibeat. Sit autem (inquit) & illud uinum, nigrum, quando quidem uina nigra natura crassiora existunt.

Locis uero ipsis, uentriculo quidem & matrici & stomacho & thoraci, ea imponenda sunt, quæ roborandi vim habent: capiti uero & fronti & hæc ipsa, & ea etiam quæ refrigerant. 185

In his particulis, quoniam natura neruosiore sunt, nullaque earum propugnaculum habet, quod prohibere ualeat, ne frigus ad imas partes ingrediatur, à refrigerantium usu cauendum censet: quædo nimirum ex una harum partium euacuatio prouenit: uel à matrice, in menstruo muliebri: uel à stomacho, in cholera: uel à uentriculo, in diarrhœa: uel à thorace, in sanguinis aut puris educatione. Enimuero adstringentibus solis utitur, ut per hæc mea-



tibus condensatis uacuationem cohibeat. In capite autem præter hæc, refrigerantia etiam addit: quoniam huic ipsi os præensum est, quod non permittit refrigerantia ipsi cerebro immediate occurrere, ipsiq; obesse.

186 Et quibus in superficie & in naribus vena aliqua rupta sit, medicamentum aliquod ex iis quæ sanguinem supprimunt, imponendum est.

In quibus est ruptio uasis, ut ob id sanguinis eruptio fiat: in his, medicamentis ipsæ quæ ἰσχυρία, id est, sanguinæ suppressoria, uocantur, uti oportet. Hæc autem sanguinis eruptionem contrahunt uel adstringendo condensandq;: quod facit oxycratum & frigida aquæ usus: uel oblinendo, quemadmodum est id quod ex pompholyge cõficitur, & amylo, & cerussa, & turre, & aloe, ipsumque oui albumen: uel urendo crustamque inducendo, ut quæ ex chalcitide cõstant & mysi & chalcantho: in quibus crusta oborta tum meatum per quem sanguis fertur, occupat, tum sanguinis eruptionem sistit. & certe singulis his, prout usus postulat, uti debent. Nunc autem non est tempestiuum conuenientem singulorum usum tradere.

187 Lauacra uero in fluxionibus quæ ad uentriculum feruntur, maximè idonea sunt.

Hæc enim cum ad exteriora materiam trahant, uelut reuulsionem faciunt: prohibent quæ ne humores per uentrem atque per intestina excernantur. (Sciendum autem est, in quibus multitudo materiæ in corpore continetur, in illis balnea magis uentriculū irritare. materias enim fundentia, fluidiores ipsas reddunt: atq; eas omnes, quæ per occultos meatus prouocari possunt, illac prouocant: reliquas, quæ in profundo sunt, per uentrem ac intestina ferri faciunt.) Suppressiõnem autẽ nos cessare facimus per balnei usum,

nei usum, ipsos in natatorium dimittēdo, atque in bonam temperaturam reducendo: qua sanè facultates gaudent: tunc enim ab ipsa roborata, per accidens resurgunt: naturalēque ipsas effluxiones, quæ erant suppressæ, in pristinum statum restituunt. hoc autem euenit, quando ex imbecillitate facultatis excreticis, uētris suppressio oriretur.

Sanguinis verò eruptiones vehementer irritāt. 188

*Quia nimirum calefaciunt funduntque materias.*

Et quicumque ob sudoris copiā animo deficiunt, 189  
iis maximè cōtraria sunt. Horū enim cutim adstringere ac refrigerare oportet, nō relaxare. Ac vinum frigidum præcipuè dare, nihilque omnino calidum offerre.

*Atque hoc merito. Si enim (ut ait) ex sudorum excessu animi defectio orta fuerat, eos autem intendere naturā solent ipsa balnea: constat hæc ipsa maximè contraria his esse.*

Sed nec etiam artus ligare oportet, neque cogere 190  
ad vomitum, neque vllō modo mouere: ac spirituum ventorumve refrigerantium introitum machinari, aerēque domus in frigidam atq; adstringentem qualitatem vertere, myrtis nimirū vitiūmq; capreolis & rosīs pauimentum consternentes. Horum nihil est vtile fluxionibus, quæ in ventriculum feruntur. Has enim tantum augent, quantum tu cutem densabis. Iis igitur qui ex vacationibus exoluuntur, ita confestim succurrendum.

*Oportet enim in his quietem imperare, cum comper-  
tum habeamus, quod qualibet etiam uacatio, eos calefaci-  
ciendo,*

ciendo, sudores præcipuè augere, periculúmque inferre potest.

- 191 At qui ex multitudine, non item eodem modo. verùm illorum artus plurimum fricare oportet & calefacere, ac ligare. A vino autem & alimento abstineant.

Consolata curatáque ea animi defectio quæ ex immoderatis uacuationibus fiebat, consequenter transit ad eam quæ ex multitudine euenit: oppositamque curationem adhibendam asserit: siquidem causa etiam quæ fecit, contrario penitus modo se habet. Oportet igitur in his artus uehementer perfricare, ut ab imis partibus ad superficiem multitudinem attrahamus: ex hocque imas partes liberemus. Nec solùm perfricandi sunt artus, uerùm etiam calefaciendi: quippe cum caliditas fluxiones attrahere natura soleat. Et sanè etiam deligandi sunt: cum dolor illud idem facere possit. Et ab alimento abstinentum est. absurdum enim est multitudinem super multitudinem acceruare: cum excrementa ab exhibito alimento generentur. Arcendi autem hi sunt & à uini potu: cum id nutriat, ideoque multitudinè augeat, ac præterea sua ipsius caliditate materias fundat, ac multiplicare ipsas faciat.

- 192 Et à lauacris, si febricitent.

Probè addidit limitationem. Si enim non febricitent, haud omnino ipsos à lauacro arcebimus, sed permittemus ipsos in balneo ingressos, in eo aère immorari, qui digerere, & ab imis partibus ad superficiem, multitudinem attrahere potest.

- 193 Satis autem est ipsis dare melicrati potù, in quo thymus vel origanum vel pulegium vel hyssopum decoctum fuerit.

Melicr



Meliceratum præbet, ut succum subiectū attenuet, fluidūque ipsum reddat. Porro ipsi admiscet quæcunque calidæ ac attenuantis sunt facultatis, ut thymum, pulegium, hyssopum, origanum.

Conuenit verò & oxymel. 194

Etenim & hoc attenuare solet succos, atque ad excretionem prouocare.

Et quæ ex vteris affectis exoluuntur, eodem modo curare oportet, præterquam oxymelite. 195

Eandem inquit curationem suscipimus in animi defectibus ob uterorum recursus ad superiora proueniens, qualem & in multitudine susceperamus. cõstat enim uteros quoque ad superiora recurrisse, quia ob multitudinem eorum uincula appensionisque replentem conuulsi erant. Cauendus autem in his est oxymelitis usus. <sup>vsq; 3. de diætã</sup> <sup>λγες enim est, id est, dolorem utero infert, ut dicit Hippo</sup> <sup>acu. mor.</sup> <sup>t. 36.</sup> <sup>crates, lesionẽque haud vulgari particulam hanc, neruosiorem existentem, afficit. Acetum enim, sicco & frigido cum sit temperamento, matrici simili temperatura prædictæ contrariatur appositum, ipsiusque intemperiem duplicat.</sup>

Et ligare fricareque crura magis quam manus. 196

Et quemadmodum in excretionem multa, iuxta mammæ cucurbitulas imponimus: eodem modo quibus sursum & in latus retractus est uterus, inguinibus ac coxis admoebimus.

Volumus enim matricem ad superiora retractam, ad inferiora deducere. Quare inferiores particulas fricare oportet: ut hac uia materias alliciendo, matricem quoque unã cum ipsis in proprium locum attrahamus. Hoc idem faciunt cucurbitulæ inguinibus adaptatæ: quippe quæ nõ succos

succos solùm attrahere soleant, sed & ipsas etiam particulas. Adde quòd, ut superius dictum fuit, succorum propensiones ipsa etiam matrix insequitur. Illud tamen amplius distinguendum est: cum matrix secundum unã partem retracta atq; inclinata est, uni etiam inguini ponendam esse cucurbitulam: cum uerò sursum adacta atq; attracta est, ut tota ipsa æqualiter supera sit, duabus tunc particulis cucurbitulas iniiciendas esse.

197 Ac naribus quidem odorabilia grauissimè olentia, matricibus autem bene olentia, & quæ laxare calesfacereque possint, adhibebimus.

Hinc quidã commoti, dicere conãtur, uideri & ipsum etiam Galenum, ut matrix sit animal, decreto asserere. aiuntq; ipsum sibi ipsi aduersari: ut qui passim decretum hoc reprobet ac redarguat: Videri autem ita Platonem in Timæo affirmare, ut sit animal, eo quòd facultatè quãdam seminis appetitricem habeat: quo non potita, per totum uagetur corpus, rem amatam desideratamq; perquirens: postea tandem secundum thoracè perueniens, strangulationes inferat. Verùm hoc in superioribus iam redarguimus. Aiunt autem ijdem uiri iuxta Aristotelicam rationem: Quæcunq; uel quinq; sensus, uel quatuor, uel tres, uel duos, uel unum duntaxat sensum habent, ea dicuntur esse animalia: & quæcunque primum sensum habent, reliquas etiam ex necessitate possident. Primus autem sensus est uisio. ergo quæ hanc habent, omnino etiã audiunt, odorant, gustant, & tangunt. Non tamen quæcunq; audiunt, omnino sanè ea uidèt: sed hæc sensum quidem auditorium habent, non tamen omnino uisionem. Sunt etiam quedam, quæ neque auditorium sensum habent, sed qui post hunc sunt, odoratum, gustatum, & tactum: Quædam uerò duos solos

solos, quemadmodum hiatulae marinae. Spongiae uero ta-  
 ctorium duntaxat sensum obtinent. Si igitur matrix odo-  
 ratorium sensum habet, gustatorium etiam profecto ob-  
 tinebit. Atque ita cum tres habeat sensus, proprie etiam di-  
 citur & est animal. Quod autem odoratorium sensum ha-  
 beat, patet. propterea quod & ipsa superius quidem \*exi-  
 stens, ut ipse inquit, in thorace: graueolentia adhibita mo-  
 leste ferendo, fugit, destituitque eas partes, atque ad beneo-  
 lentia, quae desubter apponuntur, currit. Haec est horum du-  
 bitatio, acris sane, nec soluta facilis. Nos uero eam hunc  
 in modum soluemus. Sciendum est, si matrix odoratum ha-  
 beret, desubter adhibita graueolentia certe sentiret. nunc  
 uero desuper offeruntur. Et quoniam modo, tot partes per-  
 transeuntia, ad matricem ferri possunt? Sed dicerent: se-  
 cundum thoracem, hoc modo ea percipit. At certe hoc  
 minime fieri posse, a nobis in superioribus ostensum est.  
 Quomodo enim potest, intestina & uentriculum & se-  
 ptum transversum ac reliquas illic positas particulas pra-  
 tergressa, secundum thoracem peruenire? Dicimus igitur,  
 cerebrum graueolentia sentiendo, ab illis molestari ac con-  
 trahi, simulque cum ipso odoratorium spiritum: ac per con-  
 tinuum ex hac molestia reliquas etiam particulas contrahi,  
 atque hac contractione trudere ac ueluti exprimere pro-  
 pellereque ac deorsum prouocare matricem. Sed dicat quis-  
 piam: cur alia quaedam calida ac graueolentia non admoue-  
 mus? Et dicimus, naturaliter his suauibus maxime dele-  
 ctari ac gaudere principales particulas. quandoquidem  
 praeterquam quod calefaciant, facultatem etiam quadam  
 sympepticam, id est, concoctoriam habent: quae & exci-  
 tare natura soleat, ac partium tenuitate affectus in iisdem  
 particulis existentes curare ac sanare queat.

Sive



198 Si verò stomachus fuerit imbecillus, atque ob id animo defecerint ea, quæ roborandi vim habent emplastra imponere oportet: qualia sunt quæ ex palmulis fiunt, & vino, & polentis, & croco, & aloë, & mastiche. Irrigare autem iis quæ ex absinthio constant, & oleo melino, & mastichino, & nardo, & cenanthe, & vino. Et si æstuet, miscere aliquid oportet ex refrigerantibus, veluti cucurbitæ succum, & lactucæ, & portulacæ, & solani, & fereos, & omphecis, id est, vix acerbæ. hæc enim non refrigerat solum, sed etiam adstringit. & aqua frigida æstuantibus stomacho sæpenumero profuit in tempore data. alioquin magnopere lædit. Et oportet potius vinum calidum dare iis qui infirmo sunt stomacho, si nihil aliud prohibeat.

*In tempore dicit, si nec particula sit imbecillis, nec phlegmone in aliquo membro principali sit, nec inconstorum succorum multitudo adsit. His enim omnibus affectionibus haud mediocriter officit.*

199 Iuuat autem magnopere eiusmodi stomachos extremorum frictio. Si verò ex his nihil melius habeant, æstuentes quidem ad lauacrū celerrimè sunt ducendi. Qui verò alicuius frigoris sensum habet, iis medicamentum diatrion pepereon appellatum, & ipsum etiam piper solum, & absinthium in potu dandum.

*Quoniam calefactus stomachus à toto corpore in se ipsum excrementa attrahit: ob id recalefacere iubet artus, ut illuc materias alliciat, stomachumque ipsum liberum constituat.*

Qui

Qui verò ex prauis succis os ventriculi mordentibus exoluuntur, exhibita aqua calida vel hydreleo, euomere iubeto.

Quoniam succi prauitas, deleteria quadam qualitate os ventriculi obsidendo, animi defectionem inducit: oportet sanè prius hanc, id est, contemperato modo mitiorem facere. hocq; faciet calida aqua. contemperans quidem, ut aqua: dissoluens uerò ac diffundens, ut calida: ita ut ad excernendum, facilem ipsum reddat. Conuenit etiã & hydreleon exhibere, ut ex fastidio quod ex oleo percipitur, uomitum concitantes, noxiam causam uacuemus.

Ac si difficulter euomant, fouere oportet prius, tum regiones, quæ circa stomachum sunt, tum manus & pedes. si verò ne sic quidẽ vomere possint, digitos vel pennas, dimittendo irritare oportet. si ne sic possint, rursus ipsis oleum calidum quamoptimum dandum est.

Si non possint, ait, uomere, succis nimirum adhuc crassis exiitentibus nequeũtibusq; facile reijci: oportet in his stomachum fouendo, ipsos tum dissoluere, tum ad excernendum idoneos reddere. Fouere præterea oportet ipsos artus: quoniam os ventriculi his incalcentibus unã calefieri solet. dici etiã posset: quia si portionem materiæ ad artus prouocauerimus, expulsoriæ etiã facultati dabimus ut reliquum facile propellat.

Solet autem sæpenumero oleum non ad vomitum solum irritare, sed & ventrem emollire. Est autem & hoc præsentibus rebus non parum utile. quare, nisi accadat, machinari id oportet.

Hoc facit ob permixtionem aliorum, quæ mordica-

tione quidem facultatem expulsoriam excitent, tenuitate uero partium excretiones prouocent.

203 Præcipuè uerò subditis hoc facere tentandū est. Quòd si facilius ex his fiat, absinthii comam in melicrato decoquēs, bibendū dato: & uinū deinceps. Et omnino roborare oportet particulas tū per medicamenta exterius apposita, tum absinthii potionibus. Non tamen in principiis te hoc ita facere iubeo, sed postea, quādo nimirū iam pura fuerint, quæ circa uentriculū sunt. Cū uerò adhuc succi in ipso continentur, nondum astringere oportet, sed satis est fouere duntaxat, ut prius dictum est.

Subdita (græcè *ωπόδρα*) uocatur, quæ à medicis conficiuntur glandes: quæ sanè moderatè irritare possunt. Fugendus autem à nobis in his est clysterum usus. quippe cū sciamus ex his prauam quandam qualitatem circa stomachum trāsmittere, ipsumq; uitiare. Enim uero in quibus imbecillus est stomachus, ubi clystere usuri sumus, prius aquā temperatam potandam præbemus: ut hæc ante omnia qualitatem à clystere prouenientem, stomacho immediatè occurrere non permittat. Nunc uerò adhuc magis tempestiuum est clysteras fugere. quando quidem suppositum est animi defectiōne fieri ex praua succorū qualitate: timorq; est ne hæc ipsa ex qualitate clysteris exhalate, duplicetur.

204 Vbi uerò pituita multa ac frigida in ore uentriculi fuerit collecta, perfundere quidē plurimū oportet oleo, in quo absinthiū decoctū fuerit. deinde melicratū dandū est, in quo uel hyssopum uel aliud quid simile maduerit. Dandū prætereà est & oxymeli, & piper, uel diatrion pipercon, uel diospoliticum medicamentū. Et uniuersum tibi dietæ caput  
secan



secantius fit. Quæ verò ex vehementibus frigiditatibus fiūt exolutiones, nō secus ac bulimos curare debemus, omni modo calefaciētes. Itaq; ipsis vinum dare oportet calida temperatū, ac alimēta quæ calefaciēdi naturā habeant: perfricariq; ac fouere ad ignē. Quæ verò ex caliditate nimia accidūt animi defectiones, iis quæ refrigerare roborareq; possunt, sunt curandæ. hæ verò maximè eueniūt iis qui in aere suffocante ac balneo moram traxerint. Roborabis autem ipsos statim frigidam aquam spargēdo, & flabellando, & ad ventum exponendo, ac os ventriculi fricando irrigandóque: deinceps verò vinum atque alimenta exhibendo.

*Oleo quidem ipsos perfundens. oleum uerò sua ipsius caliditate laxando ac fundendo succum, fluidiorem reddet. Admiscet autem absinthium, ut os uentriculi, quod semper roboratione indiget, ex ipso tenorem seruet.*

Qui verò ob phlegmones magnitudinem vel febris vehemētis malignitatem animo deficiūt in inuasionibus, & artubus refrigerantur: iis vehemēter fricando & fouendo & ligando manus ad crura:

*Phlegmone sæpe quidē in nobili particula existens, animi defectionē facit: sæpe uerò licet in ignobili existat loco, ob propriā tamē magnitudinē, doloris excessum inducēs, laborantem dissoluit, ac animi defectionem facit. Quin & febres malignæ interdum dum inuadunt, secum ferunt animi defectionem: quæ sanè fit, eò quia succi omnes in profundum confluunt, facultatemq; suffocant.*

Oportet ergo in his artus fricare & fouere & ligare: ut per hæc omnia à profundo ad superficiem materiam attrahamus.

206 Vigiliâsque imperando:

Quòd per somnos in profundum succi omnes fluant, tum ex alijs multis cõprobari potest, tum uerò magis quia dormientes in superficie refrigerantur: ita ut pluribus tunc oporterijs indigeant, quàm si uigilarent. Hoc igitur ostenso, necessario, tum ex somnis, tum ex accessione inuasionis confluxio in profundum duplicata, naturam multitudine suffocabit: quare optimum est ipsos excitare, sobrios nimirum uigilantesq; præparando.

207 Ac omnis cibi potûsque abstinentiam. Optimum autem est in his, ut quod futurum est, prænoſcas: hæcque ante accessionem facere anticipes.

Et hoc merito: neque enim phlegmones magnitudo extitisset, neque febris maligna euasisset, nisi immodica succorum multitudo adfuisset: in quibus sanè nutrire absurdissimum est. quippe cum alimentum, succorum redundantiam perpetuo augeat.

208 Et qui ex ficcitate in accessionũ principiis, syn-  
copam incurrunt, eos optimum est ut prænoſcas. Si enim duobus tribusue horis ante accessionem nutrimento exhibito, constringi manus ac pedes iusseris, haud sanè interibunt. Oportet autem ut alimenta sint concoctu facilia ac stomacho apta. Si uerò uehemens fore periculum suspiceris, uinum dare anticipato: magis uerò, ubi in chondrum elixatum, uinum infuderis, exhibeto. Si uerò panem loco chondri dederis, idem ualebit.

Calid

Calidiorum, siccorumq; temperamentorum uniuersas causas in curatiua methodo didicimus: quandoquidem in illis libris absolutius de hac speculatione hic scriptor tradidit. Quod uero etiam nonnulli ex his animo deficiunt, illic etiam dictum est, nuncq; nihilominus dicitur. Duplicata enim siccitas tum à naturali laborantis temperamento, tum à febris intemperie, facultatem deijcit. Exhibere ergo ipsis oportet alimentum quod tum humectet, tum simul squalorem illum uehementem consolari extinguereq; possit. Hoc autem fieri oportet nonnunquam quidem duabus tribusue horis, antequam accessio inuadat: se penumero autem in ipso etiam principio. Hoc enim præcipue est Galeni inuentum, ob quod magnopere ipse celebratur: cum nemo exijs qui ipsum præcesserunt, de hoc enunciarit. imò etiam Hippocrates reclamet, inquiens, In accessionibus subtrahere oportet: addere enim læsio est. Enimvero iubet ut post alimentum exhibitum pedes & manus cōstringantur: sciens, membra hæc multam cum stomacho communionem habere: ita ut his incalcentibus unà quoq; ille incalcescat: atque exhibitum alimentum cōcoquat, celeriterq; illud ad iecur reliquumq; corpus transmittat.

Vbi uero mediocris syncopa expectatur, nec uinum dandum est: sed tunc satis est mala punica, vel pyra, aut mala, vel aliquod aliud pomum adstringens alimentis admiscere. Siq; post hæc moderatè accessionem ferant, cum rursus nutries, pomis uti nõ erit necessarium.

Si magnam fore animi defectionem expectamus, ijs uinum exhibere satius est, uel cum chondro uel cum pane: Si uero mediocrem, uinum quidem non amplius dabimus, mi-



scēbimus uerò chondro panem cum aliquo ex pomis (quæ δρωάρα; græcè dicuntur) adstringentibus. Hæc namq; humiditate quidem siccitatem consolabuntur: adstrictione uerò facultatem roborabunt. Post quæ sanè, si accessio tollerabilius inuadat, ita ut nec animi inducat defectionem: oportet deinceps alimentis memoratis uti, nec amplius poma complicare atque admiscere. quandoquidem succorum quædam prauitas ex ijs colligitur, quæ febres tum augere, tum duplicare potest.

210 Hæc quidè agēda sunt, si quod futurum est, præcognoueris. Iis uerò qui ex inopinato in periculū inciderūt, uinū calidum panisq; ac cum eo chondri exiguum quid omnino dandū est. Si enim plura cōcoctu difficiliora cibaria iis, qui ita habent, dederis: nō syncopam incurrent solū, sed & suffocabuntur. Qui uerò ob insignis particulæ obstructionem animo deficiūt, iis oxymeli dandū est, potioq; quæ ex hyssopo, origano, pulegio, ac melle cōficitur, ac alimenta quæ secantioris modi sint. Crassa enim ac viscida alimēta magnas in hisce læsiones faciunt. Sed & artus fricare ac ligare nihil deterius fuerit. Bonū etiā est potionibus uirinā cientibus uti: qualia quæ ex anetho, & fœniculo, & apio, & petroselino, & daūco, & ami, & spica nardi conficiūtur. Ex quibus ubi manifestum iam iuuamentum existat, uinō tenui & albo nec admodum antiquo utendum est.

Melius sanè est, futura tempestate præuisa, præparationem aduersus ipsam facere, corpusq; ad patiendum conatum reddere, ut imminenti symptomati haud faciliē cedat.

dat. hoc autem per memoratam uictus rationem fiet. Si uerò in ipso iam periculo simus, tunc uinum calidum exhibere oportet: ut distributionis celeritate tum nutriat, tum uniuersas facultates roboret. Vino autem exiguum quid chondri uel panis admiscebimus, ut alimentum firmitus efficiamus. Vinum enim sicuti celerrimè nutrit, ita etiam celerius digeritur, ob idque eidem memoratas res admiscemas, retentionem alimenti & securiorem & diuurniorem machinantes.

Noscemus autem eiusmodi obstructiones tum ex aliis pulsu inæqualitatibus, tum maximè ex iis quæ secundum magnitudinem & paruitatem, uehementiam & debilitatem fiunt: modò non adfit syndrome, id est concursio, quam plethoricã uocant. Sunt enim & illius communes.

Diagnosticum hoc theorema intersperfit, quod multè inheret ueritati. Fiunt enim ex obstructionibus uniuersæ inæqualitates præcipuè uerò quæcûq; facultatis sunt propriæ. Cùm enim causas obstruentes facultas aggrediens, nonnunquam quidem uincat, nonnunquam uerò uincatur: si uincitur, paruum & debilem facit pulsum: si uincit, magnum & uehementem. atque hoc sæpius eueniens inæqualem in pluribus ictibus faciet arteriæ motionem. Considerare autem oportet, nunquid adfit plethorica affectio. prædicta enim inæqualitas, & huius est communis. hanc ipsam autem sanè diiudicabimus ijs signis, quæ de multitudine iam à nobis tradita sunt.

Fiunt autè intermittetes etiã pulsus in eiusmodi affectionibus, si magnæ fuerint. Hæc quidè plenius in libris, De pulsibus dicuntur. Nûc uerò ad ser

monē transeamus de reliquis exolutionibus, quales sunt quę propter ruptionē abscessus, vel sectionem fiūt, et quę proptervacuacionē cōfertā in hydrope.

Quod intermittens sit pulsus, quando dum expectatur motus, quies sit, iam in libro, De pulsibus diximus. Hoc autem intelligi potest ut obstructionis & multitudinis commune. Quandoquidē debilitata ac ueluti tenore admodū priuata facultas, interim quiescere studet, atque intermittentem facit pulsus. Potest & item considerari, ueluti discrimen inter plethoricam affectionem & obstructionem faciat: quoniam intermittentes pulsus in plethora magis fiunt, tanquam & ipsa etiam magis, quam obstructio facultatem grauet: siquidem obstructio in una continetur particula: multitudo uero in toto corpore obambulans, totam deijcit facultatem.

213 Satis autem est hos quamprimū odoratis recreare: paulo uero post sorbitionibus concoctu facilibus nutrire.

Quoniam, dum humores præter naturam uacuantur in hydericis interpunctionibus, & abscessuū ruptionibus sectionibusque, una cū inutilibus multū quoque ipsius uitalis tenoris excernitur, hincque homines animo deficiunt: opus sane est eos, dum adhuc in animi defectione persistūt, odoratis recreare, ijs in quā quę tūc per occasionē inueniuntur, qualia sunt rose, uel lilia, uel in Alexandria lotaria. Et certe sciendū est, & hoc optimē ab antiquis dictum fuisse, cū nostrum corpus ex tribus substantijs sit compositum, humida, solida, & aërea: harum unamquamque ex eo quod sibi sanū ac familiare est, nutriri: solidas quidē partes, ex solido alimēto: humidam autē, per potuum adhibitionem: ipsos uero spiritus, per aëris ingressum. & hoc est quod

Hippo



Hippocrates dicebat: Continentia, contenta, & impellen- 6. Epid.  
tia, & alio loco, ipsius spiritus nutrimentum nares, os, sect. 8.  
bronchus. Respirat enim cor per os & nares: Cerebrum Libro de  
autem (quandoquidē & ipsum respiratione uti ostensum Alimēto.  
est) per nares dūtaxat. Hinc appositio, \* spiritus, calorem  
innatum aëreum existentem augebit. Ob id ergo odorata  
naribus admouemus, ut, qui ab ipsis effluunt uapores, cum  
tenuium partium sint, aptiq; ut in spiritus optimi substan-  
tiam transmutetur: in locum illius vitalis spiritus, qui di-  
gestus est, introducantur. Enimvero adstrictione etiam,  
spiritum qui in nobis est, cogere constringereq; possunt.  
Quare per suam quidem ipsorum substantiam, statim spi-  
ritum nutriunt: per adstrictoriam uero qualitatē, eos qui  
dissolui periclitantur, tum claudunt ac firmant, tum robu-  
stiores efficiunt. Atque hæc quidem in ipsa animi defe-  
ctione adhibere oportet. Deinceps uero ubi hæc ipsa cessa-  
uerit, alimentis concoctu facilibus facultatem digestam  
resumere reficereq; debemus, sorbitiones ex chondro, ui-  
no admixto, ac quæcunque similis fuerint facultatis, ex-  
hibentes.

Si uero ob tristitiam, vel gaudiū, vel metum, vel  
iracundiam, vel terrorē exoluti fuerint, odoramētis  
ac narium apprehensionibus recreati, ad vomitum  
sunt cogendi. Eodē modo & qui ex vulneribus, vel  
ruptionibus, vel doloribus secundum articulos, ner- \* In im-  
uos, ac musculorum tendones existentibus, exoluti pre-  
fuerint, statim quidem sunt recreandi: postea uero gationi-  
bus.

In animalibus affectibus animi defectio contingit uel  
digesto uitali tenore, ut in irascentibus & confertim de-  
lectantibus accidit: uel suffocato ac refrigerato, ut in tri-

stantibus & metuētibus: uel\* congelato, id quod accidit illis, qui in horribilem quamplīā rem subito atque ex improviso incidunt. congelatis enim ipsis, ueluti immobilis permanet spiritus, quod haud amplius possit uel intro ferri, ut in metu & tristitia: uel extra, ut in iracundia atq; delectatione. In his igitur, quoniam undequaque siue per constrictionem siue per fusionem, deficit spiritus: melius est odoramentis ipsos recreare ob eam causam quae de ipsis tradita est. Cogendi autem sunt ad uomitum: illi quidem qui ex delectatione animo defecerūt, ut retrahamus, atque intro naturam auocemus, nec permittamus ipsam per superficiem effluere: illi uero qui ex tristitia, ut id quod in ore uentriculi à succorum confluxione repleto continetur, uacuemus: Eadem etiā intelligenda sunt in iracundia & metu. Nam iracundia, quemadmodum delectatio, animi defectionem infert, uires per exteriora depradando: metus autem eodem modo, quo tristitia, naturam in profundum compellendo. Ceterum in ijs qui terrorem sustinuerunt, uomitus facultatem reuocat, neutrum ex praedictis faciendo, sed eam pungendo & stimulando, ac ueluti ex profundo summo, excitando.

215 Quae uero ex colicis affectibus uel ileis uel aliquo ex ijs qui tam magnos inferunt dolores, sequuntur animi defectiones: affectarum partium calefactionibus atque extremorum frictionibus, desistunt.

Colica affectio fit, ubi pituita in sinu continetur intra duas tunicas intestini: quae sane pituita dum resoluitur ac distenditur, & tortiones & immoderatos dolores facit. hacq; de causa animi defectionem infert. Hoc autem inquit

quit) etiam fit à phlegmone quæ intestina deprehenderit: nec amplius permittat stercore, ut per cōsuetum iter feratur. Enimvero in exitiosis ileis uidere licet etiam stercus euomi. Fiunt autem & in his tum tortiones tum immoderatus dolor. Oportet ergo in his ambobus, si imbecilla sanè facultas subijciatur, & à dolore, (ut quæ illius excessum minimè ferat,) dissoluatur, stupefacientibus uti quæ dolorem sedant, affectionem non tollentia. Sed quoniam ex horum presidiorum frigiditate par est ut locus intemperatus iam reditus, denuo uexetur, ob imbecillitatē quæ ipsi ex intemperie aduenit: satius est post doloris sedationem, ijs quæ calefaciant ac recorporare possint, euertere eruerēq; particula affectionem. Ac illi quidem qui his medicamentis haud usi sunt, in posterum in causa fuerūt, ut assidue colon intestinum fluxione laboraret. Oportet autem in ipsis quoq; crura & manus fricare: ut ab imis partibus ad exteriora materias auertamus.

Quæ verò ob imbecillitatem propriā facultatū <sup>216</sup> corpus dispensantiū exolutiones eueniunt, ex intemperie illarum particularum factæ, vnde facultates prodeūt: eas contrariis intemperiebus curare cōuenit, frigidas quidem calefaciendo, calidas verò refrigerando, atque in aliis eadē ratione. Vitalis igitur vocata facultas, quā à corde prodire ostendimus, ex debilibus pulsibus dignoscitur. Quæ verò à iecore <sup>215</sup> prodit, nutrixq; appellatur, ex sanguinolētis deiectionibus initio quidem aquosis atque tenuibus, postmodū verò crassis veluti est amurca. Quæ autē à cerebro prodit facultas, quæ peculiariter ab aliquibus animalis nominatur, ex voluntariorum mo-

tuum



tuum infirmitate dignoscitur. Verum de eiusmodi affectionibus priuatim tibi in alio libro scribemus. permulta enim sunt in ipsis, quæ à medicis perperâ sunt visa. Quoniam verò hucusque sermonem de symptomatibus fecimus: rursus ad ea quæ ab initio proposita sunt, redeamus, vnum communè in omnibus habentes scopum causam, à qua vnumquodque horum fit, considerare: hæc enim conuenientem curationem tibi indicabit.

Vnus ex affectibus iecori euenientibus est ea quæ atonia, id est, imbecillitas uocatur, quæ ex refrigeratione iecoris fit sine ullo tumore. Hæc autem à nobis ex deiectionibus cognoscitur, excernuntur enim in his primùm quidem aquosæ deiectiones, loturæ carniū recenter maceratarū similes: postea uerò crassæ, id quæ iure. Cùm enim iecur imbecillitate labore, haud amplius propriam actionem inculpate perficit, nec amplius deinde perfecte sanguinem faciet: uel saltem, ubi semicoctum ipsum reddiderit, eum serosiores & aquosum quicquid colore duntaxat sanguinis obtineat, dimittet. deinceps uerò, quoniã portio succi quæ crassior est, non excernitur, sed in iecore remanet, eadem tractu temporis cùm putrescat ac superassetur, febres infert. & ubi multa extiterit, ex collectione paulatim facta, excernitur, sæci olei quàm amurcam nominant, similis.

217 Veluti si quis doleat caput, si quidem fastidiosus sit, ac cordis morsum sentiat: iubedū est ut euomat. euomet enim uel bilē uel pituitā uel utrunquæ. Nullo uerò insigni affectu apparēte in uentriculo, considerandum est utrum multitudo uel obstructio, uel phlegmone aliquarum partium capitis adfit. Inue-

nies

nies autem si interrogaueris primū quidē nunquid per totū caput extēdatur dolor, an in aliqua particula vehementius infixus sit. postea verò nunquid cum grauitate, vel tēfione, vel mordicatiōe, vel pulsu. Nam qui cū grauitate fiunt dolores, multitudinē ostendunt: qui cū mordicatione, acrimoniā vel vaporum vel succorum: qui cum pulsu, plegmonē: qui cum tēfione, si quidem sine grauitate & pulsu, spiritus incōcocti & flatuosi multitudinem: si verò cum pulsu, membranosi corporis phlegmonem: si cum grauitate, multitudinem intra membranas retentā. Quādo ergo omnia hęc tibi distincta fuerint, causam singula horū faciētē considerare oportet. illa enim tibi curationē indicabit. Veluti si multitudo vaporum vel succorū contineatur: cōsiderare oportet nunquid ob febrīū magnitudinē succi fusi ac veluti efferuescentes, in caput impetū fecerint: an ob partium infirmitatē, an ob repletionem, quę in toto corpore sit. Hanc enim haud difficulter sanaueris, totius corporis euacuationibus.

*Quoniam capitis dolor symptoma est, ac, sepe numero dum uehementior euadit, totam artē ad se ipsum auertit: age & huius curationem tradamus, factricem ipsius causam prius inquirentes: atque ita ad ipsam nosmet accommodantes. Fit enim non uno sanē modo, sed multipliciter, nam uel per proprium affectum uel per consensum. ac per proprium quidē affectum uel à multitudine, uel à multis uaporibus, uel à phlegmone, uel à qualitate acri ac mordaci. Si igitur per consensum cephalagia eueniat, stomacho sepe numero uel uentriculo exhalationes in caput mittentibus: ubi illos uacuauerimus, una etiam & ipsum caput*

caput curamus. Vacuamus autem ab ipsis uel pituitam uel bilem. & si pituita fuerit, per fastidium, quod sanè ex humiditate putredinosa fieri solet, indicatur. si uerò bilis, per cardiognmum ostenditur: cardiognmos autem est oris uentriculi tum dolor tum morsus. cardian enim hoc est cor, uocabat antiqui, ipsum os uentriculi: tanquam in consensum cor trahat. Sic ergo si per consensum afficiatur caput. Si uerò proprium habeat affectum, his discernere oportet. Si enim multitudo sit, grauitas adest, ac distentio: si spiritus multus, distentio quidè at nō grauitas: si phlegmone, distentio & grauitas: sed & pulsatorius dolor à multitudine & à spiritu ipsam distinguit. Si uerò qualitas sit sola, nec grauitas, nec tensio, nec pulsatorius dolor adest: uerum mordicatio sola. hæc autem ipsa qualitas interdum quidem in succis nō multitudine sed acrimoniâ molestantibus, interdum uerò in uaporibus uel spiritibus natura mordacioribus continetur. Oportet ergo ubi factricem causam dignouerimus, atque ad ipsam nos accommodauerimus, cephalalgie curationem facere.

218. Eum uerò qui ex partis imbecillitate prouenit, partim in totum corpus reuellendo, partim ipsi particulae remedia adhibendo. Reuelles igitur clysteribus acribus, uinculis, & multis infernarum partium frictionibus: & si ita opus fuerit, aliquid etiam sanguinis abducendo. Particulam autem curabis quo quidem tempore in totum corpus reuellis, perfusionibus iis, quæ à capite repellere quid possunt: postea uerò iis, quæ vacuât, postremò iis quæ roborât. Repellit igitur oleum quod omotribes id est, immaturum uocatur, uel aliquod aliud eiusmodi: ueluti oxyrhodinum, & rosaceum ipsum per se ipsum: & quæcunq;  
ex capi



ex capitibus papaueris & teneris oliuæ germinibus  
 & hederæ corymbis & menta viridi & sisymbrio  
 præparantur. Utendum verò ipsis in crudiori qui-  
 dem frigidiori; \* affectu, temperatis: in calidiori ve-  
 rò & biliosiori, frigidis. Vacuat autem & digerit caid est affe-  
 lidum oleum tum ipsum per se, tum magis si anti-  
 quum, vel syncionium sit, vel etiam anethum in se  
 ipso ebullitum habeat. Nam multitudinem non ad-  
 modum crassam nec viscidorum succorum, abunde  
 per id genus medicamenta vacuabis.

\* πύσους,  
 tu habet  
 antiqui  
 cod. non  
 πύσους,  
 id est mul-  
 titudine.

Quoniam tres sunt causæ fluxionum quæ ad caput fe-  
 runtur: multitudo in toto corpore contenta: febris cali-  
 dior succos in vapores dissoluens, ac fundens, ac exhalatio-  
 nes ad caput mittens: capitis imbecillitas, siue in primo  
 ortu genita, siue postea ex aliquo errore aduenerit ac-  
 quisititiaq; sit: Eius quidem qui ex multitudine provenit,  
 curationem tradere non uult, cum is curari facile possit  
 per ea præsidia quæ multitudinem euacuant. reliquos ue-  
 rò duos nunc pertractat, ac prius quidè cum qui ex imbe-  
 cillitate provenit. Solet enim semper omnino loci infirmi-  
 tas fluxiones ad se ipsum attrahere. Oportet igitur du-  
 plicem fieri medelam: partim quidem superfluum à par-  
 ticulari abducendo, partim uerò intemperiem in ipsa exi-  
 stentem à qua imbecillitas proveniebat, transmutando,  
 eamq; in bonum temperamentum transponendo. Igitur  
 prius reuulsione uti debemus, manus & crura ligantes ac  
 fricantes: clysteribusque acrioribus materiam per uim  
 subducentes. Hæc enim omnia docebunt monstrabuntq;  
 uiam ac lationē quæ ad inferiora fit. Huicq; rei tunc etiam  
 opitulari oportet, per ea quæ de super materiam pellunt,  
 unaq;

unaq; etiam exprimunt. Hoc autem faciemus, si capiti in tempore reuulsionis adstringētia adhibuerimus. Postea quam uerò à reuellendo succo quieuerimus: quoniā omnino aliquid crassius in capite collectū est: quippe cum adstrictoria medicamēta. tenuiorē succi partē prius excreuerint, ac quidquid ipsius crassum supererat, cohibuerint: necesse est digerentibus atq; abigentibus uti ut reliquum deinceps uacuemus. Vbi uerò à presenti affectu locū affectum liberauerimus, eis utemur quæ tenorem capiti inde re possunt, ut ne amplius eodem affectu corripiatur.

219 Sed & si spondylion vel serpillum incoxeris vel pulegii comā vel calamēti. vel mentē vel sisymbrii: crassiorē ita multitudinē vacuabis. Hæc autem etiā tenorem quendā dāt particulis, debilitatasq; roborant. Ut edum igitur deinceps ipsis est usq; ad integram sanationem. siq; opus fuerit, per nares ac palatum purgato, ac sternutamenta moueto.

Hæc enim uniuersa calefacientem attenuatēq; facultatem habent: ac cōferunt ad uacuandū digerendūq; id quod in capite continetur. Animaduertendū autem est, eū menta ac sisymbrio usum fuisse, ut qui roborare uellet ac sanē etiā digerere. uerū superius uiridibus his ipsis herbis usum fuisse, quandoquidē tunc adstrictoria adhuc facultatis sunt participes: hoc uerò in loco siccis. siccata enim hanc exuunt, euidentiorē uerò reliquā habent, attenuantem scilicet ac digerentē facultatem. attamen ne siccata quidem roboratē facultate omnino sunt expoliata. quare ad utraq; nunc, tum ad id quod superflūū est uacuandum, tum ad facultatem roborandam ipsis uti expedit.

Et si

Et si in lauacrum hominem duxeris, caput siccis  
 sindonibus perfricato, atque sine oleo sale, & ni-  
 trum, & sinapi aspergito. Hæc quidem sunt cepha-  
 lalgia ex infirmitate proueniens, remedia.

Hæ enim caput exasperantes, possunt uiolenter succos  
 in ipso contentos, licet crassi sint, eruere. Porro sale ac ni-  
 tro quæ siccare atque attenuare ualent, caput inspergere  
 oportet. Oleo autem non est irrigandum. neque enim in præ-  
 sens humectandi sed siccandi potius scopus nobis est.

Ei uero quæ ex febrium magnitudine fit, quæque  
 remedia exoptulat, frigida qualitates & facultates  
 & quæ ex hydrelæo, & oxyrrhodino, & capitibus  
 papaueris componuntur perfusiones congruunt.

Cephalalgiam tripliciter fieri dixit: uel ob totius cor-  
 poris plenitudinem, quam sanè haud difficile ait nos cu-  
 rare, si corpus uacuauerimus: uel ob capitis imbecillita-  
 tem, hancque curauit: uel ex febrili caliditate succos fun-  
 dente, eosque ad caput mittente. Et hanc postremam nunc  
 oratione curat, refrigerantia particula adhibens, tum ut  
 intemperiam calidam à uaporibus proueniens sedet:  
 tum ut roborato capite, excrementa, quæ ad ipsum ferri  
 debuerant, repercutiat.

Eius uero quæ criticam sanguinis eruptionem vel  
